

Z<sup>v</sup>  
160



8.269



8.269

17.

QK.269.(1)

Z e  
160

CASPARIS SAGITTARII  
 LVNEBURGENSIS  
 PHILOSOPH. MAG. ET SS. THEOLOG. DOCTORANDI  
 SCHOLÆ SALFELDENSIS QVONDAM RECTORIS  
**INTROITVS ET EXITVS**  
**SALFELDENSIS**  
 DVABVS ORATIONIBVS  
**I. DE MISERIA PRÆCEPTORVM**  
 SCHOLÆ  
**II. VALEDICTORIA**  
 OSTENSVS.



BIBLIOTHECA  
 PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
 HALLE  
 (SAALE)

ACCEDIT MICHAELIS NEANDRI GRÆCI CARMINIS DE MISERIA  
 ET CONTEMPTV VNA ETIAM DIGNITATE ET GLORIA PRÆCEPTO-  
 RVM PVBLICORVM VERSIO LATINA  
 ET PROGRAMMA AVCTORIS DE VITA SVA.

JENÆ, LITERIS ET SVMP. JOH. JACOBI BAVHOFFERI.



VIRIS

Admodum Reverendis, Excellentissimo,  
Amplisimis, Clarisimis,

DN. JOHANNI BVNONI

Scholæ quondam ad S. Michaelem Rectori,  
& adhuc Illustris Gymnasii Luneburgensis Pro-  
fessori, ut & Verbi Divini Symmystæ.

DN. JOHANNI GEORGIO  
KETTENBEILIO

Scholæ itidem Luneburgensis Senatoriæ  
Rectori, nunc Gerontodochii ad S. Nicolaum  
Pastori.

DN. SIMONI BORNMEISTERO

Scholæ ad S. Spiritum in Inclyta  
Norimberga Rectori.

DN. JOHANNI REISKIO

Scholæ Vinariensis nonita pridem, jam  
Senatoriæ Luneburgensis Rectori.

De Ecclesia CHRISTI, Scholastica juventute  
ac Republ. literaria optime meritis,

Fautoribus & Amicis meis singulariter honorandis.

P. S.



abitam Vobis observantiam, amoremq, me-  
um literario hactenus commercio testata, qui  
publica declarem voce, causarum satis ha-  
beo. Vestra, Domine BVNO, ac Domine KET-  
TENBEILI, cum B. Parente meo per plures an-  
nos, ac mecum deinceps culta sincere amicitia, præter  
cives nostros aliis quoque innotescere desiderat. Præ-  
sens non capit charta, quantopere Tibi, Celeberrime  
Domine BVNO, de Historia per Imagines nequa-  
quam imaginaria, de eruditis tuis, quos dono mihi  
dedisti libris, obstrictus sim. Fidelissima tua in publi-  
cis ac privatis rebus colloquia, Reverende Domine  
KETTENBEILI, & ab excessu Patris tranquil-  
lum ad Te perfugium, nec minus Tuorum, cum quar-  
tana laborarem, benefacta honorifica semper versan-  
tur ante oculos. Ex quo semel Altorffio redux Te  
salutavi, Amplissime Domine BORNMEISTE-  
RE, ab hoc decennio non amasti, sed exquisite me di-  
lexisti. Tot id loquuntur literæ, styli melle ac sesamo  
sparsa, nivei candoris cumulo perfusa; demonstrant  
elegantissima, quibus semper me beare voluisti, scri-  
pta tua. Et tuum erga me amorem, Clarissime Do-  
mine REISKI, in hac Salana, Vinaria, ac Lune-  
burgi egregiis comprobasti documentis; nec desinis bo-  
næ notæ discipulos, tua missos, manui meæ commenda-  
re. Quadrigæ Rectorum, qui fuere, qui sunt, floren-  
tissima, & ipse quondam Rector Scholæ, de Miseriis  
Præceptorum Scholasticorum offero orationem; non

limatam illam, ac politam; sed nude, ceu poscit veritas,  
rem ipsam proponentem. Si & Vos harum nonnulla  
afflarunt, vero testimonium; si alia, sermoni augmen-  
tum dabitis: si nulla; esset cur vobis prolixè gratuler.  
Quamquam aut ego fallor, aut vos quoque aliqua in  
hoc ergastulo subiistis martyria. Qui putant me schola-  
stica munera bonis ingeniis redditurum in visa, toto  
errant cælo. Ad nulla magis, etiam in Academia, pa-  
ravi auditores; a Scholis, quibus aduersatur Diabo-  
lus, felicitatem omnigenam pendere persuasus. Et fe-  
renda sunt talia propter omnipotentem Scholarum  
Patronum. Habent & alia munia calamitates suas.  
Vos, Reverendi Viri, testes eritis, quam sit tremendum  
solicitam animarum curam gerere. Boni Magistra-  
tus suos habent tortores, & quis crederet? etiam in  
subjectis. Est & opifici, quod in taberna ipsum mor-  
deat. Qui omnibus emergere cupit molestus, ex orbe  
habitabili naviget in Vtopiam. In cælis merces no-  
stra est deposita: huc una mecum anhelatis Viri pien-  
tissimi. Sed legite, quaeso, o Amici, Valedictoriam,  
deque meo in Salfeldensem Scholam affectu benigne  
judicate. Programma historiolum vitæ complexam.  
nisi indixisset valedictionem, facile potuissem omitte-  
re; at non item versionem græci carminis, argumento  
affinem meo. Illa nunc Collegis in hac dedicatoria erit  
gratior, quod auctorem habeat Collegam. Ita semper-  
florentes valete, o mei, & vestros amores servate

Vestro

SAGITTARIO.



ORATIO  
DE  
MISERIA  
PRÆCEPTORVM  
SCHOLÆ.



I ea, qua par est, animi perspicacia  
Herculeos Præceptorum Scholæ  
labores æstimatis, Auditores Opti-  
mi, nullus certe dubito, quin ma-  
gna vos subitura sit admiratio, cur  
juvenem meam ætatem, eandem-  
que sic imbecillam satis, & gravi nuper ac diu-  
turno morbo fractam, iisdem consecrare volue-  
rim; atque in scholasticum pulverem, tamquam  
in pistrinum quoddam me detrudi passus sim.  
Verum enim vero etsi gravissimas in promptu  
habebam causas, quibus adductus difficillimum  
Rectoris munus declinarem, meamque juven-  
tam commodiori fato reservarem; vicit tamen  
clementissima æterni Numinis providentia; quæ  
fluctuantem meum ac in diversa abeuntem ani-

A mum

num miris modis confirmavit, omnesque remoras & obstacula profligavit penitus.

Nunquam enim adducar, ut credam, absque benignissima Opt. Max. ope fuisse, quod cum Patre dulcissimo, unica post Deum, studiorum meorum ancora orbatus, vitam, multis, quibus alii abundant, præfidiis destitutam in luctu & squalore transigerem; sine ullo labore, sine ullis meis precibus, Altenburgum, ad regimen Scholæ Salfeldensis excitarer, factoque in sanctiore Serenissimi Principis consilio, specimine, Magnifici in sacro hoc consensu Præsidis, ac Adfessorum gravissimorum auctoritate in laudato munere confirmarer. Deus, Deus inquam, qui summam orphanorum miseriam respicit, eosdemque sub gravissimo onere gementes erigit, nec unquam illos, nisi ab ipso deficient, deserit; hoc fortassis modo, inclinatis ac prope jacentibus fortunis meis prospicere, easdemque in portum quasi quendam deducere voluit. Neque tamen portum cum nomino, suavem mihi quietem & dulce otium polliceor; sed illud tantum significo, magno mihi argumento esse, quod mea cœlesti Patri vere cordi sint: quandoquidem ad publicam me stationem tum temporis vocavit, cum Parente e sua statione evocato, copiarum mearum in angustum coactarum divino haberent opus stabilimine.



ne. Et sane, quis non <sup>3</sup>divinæ bonitatis luculentum porro esse iudicet indicium, quod cum iter ingrederer, non anni modo cœlique tempestas, sed etiam feralis illa quartana febris admodum infesta mihi esset, meque per viarum discrimina magno meo malo comitaretur; hæc tamen in hac ipsa civitate, vel eo nomine mihi commendata, uno ante discessum die desierit sævire, & sic ex eo tempore prostrata, & tantum non desperata valetudo in meliorem statum redacta sit? Quod quidem tam præclarum, tam excellens, tam egregium Omnipotentis divinarum humanarumque rerum arbitri beneficium nisi grata devotaque semper mente agnoscerem, ac justo præconio celebrarem, ingratisimus essem mortalium. At enim, uti divinæ, de qua dixi, providentiæ primas jure meritoque tribuo; ita non negaverim, majorum meorum exempla, in quæ tamquam in speculum quoddam soleo inspicere, acres mihi addidisse stimulos, ut scholasticam hanc Spartam, Minerva haut invita capeßere, & pro virili exornare decreverim. Habeo enim, sed quid dico, habere me? habui inquam Patrem, qui per quatuor, & quod excurrit, lustra Scholasticos labores infracto tulit animo. Siquidem is in Numburgensi Schola Senatoria Prorectoris, Brunswigæ vero in Lyceo, quod a S. Martino,

A 2

item;

itemque Lunenburg<sup>4</sup>gi, in ludo, qui a S. Johan-  
nenomen habet, gravissimo Rectoris munere  
summa cum laude defunctus est. Paternum au-  
tem avum Tangermundensium Scholæ lauda-  
biliter olim præfuisse, certissima fide accepi. Sed  
quid dicam de Thoma Sagittario Patruo meo?  
Viro, & doctrina & doctis scriptis clarissimo:  
qui relicta inclytæ Salanæ cathedra Philosophica,  
ad Gymnasii Vratislaviensis regimen ac cetera-  
rum hujus Urbis Scholarum inspectionem abiit,  
atque in isto munere placidum vitæ finem inve-  
nit. Thomæ præterea Patris vestigia sequutus  
est dignus tanto Patre filius, Johannes Christfried  
Sagittarius, supremus nunc sacrorum in Alten-  
burgico Principatu Antistes, Mæcenas atq; Patro-  
nus meus fideli obsequio devenerandus: quippe  
qui Curia Nariscorum Prorectoris, Jenæ vero  
Rectoris vices, donec majoribus admoveretur  
muniis, masculè sustinuit. Atque hanc Majorum  
meorum fortunam in scenam dum produco,  
paucorum recordor versuum, quos ante annos  
aliquot ad clarissimum Lubecensis Gymnasii Re-  
ctorem, Henricum Bangertum, Præceptorem  
optime de me meritum, & longiori ac mitiori  
fato dignissimum, inter alios ex illustri Julia scri-  
psi, quique in hunc modum se habent:

Ipse

5.

Ipsē ego Rectores, Patrem, Patrum, Patrualem  
Qui numero, tamquam certantia vultibus aera  
Majorum monstrare queam, mea fata sonabo.

Scilicet, haut leve esse arbitror, Majores ac agnatos habere virtutis ac eruditionis gloria præstantes; inclyta quorum fama somnos nobis excutiat, ut illorum vestigiis inoffenso, quantum licet, pede insistendo, eam tentemus viam, qua nos quoque possimus humo tollere, victoresque virum volitare per ora.

Summa huc accedit Scholarum optimarum dignitas æque ac necessitas, quas postquam excessi ex ephebis, modo non proletario æstimavi, sed justa semper veneratione prosequutus sum. Enimvero in Scholis eorum mores ac ingenia, qui salutarem aliquando operam Ecclesiæ Reique publicæ præstituri sunt, probe formari perspexi. In Scholis infelicem vitiorum loliginem, ac infestas improbitatis fruges extirpari, at fragrantissimos quosque virtutum optimarum flosculos plantari sensi. In Scholis excussa ruditate atque ignorantia optimas artes ac scientias locum invenire, easdemque teneris discentium animis magno cum fructu instillari deprehendi: ut proinde eas pro foecundissimo Rerum publ. ac Ordinis Ecclesiastici seminario, pro uberrima virtutum scaturigine, pro amplissima pietatis & virtutis palæstra,

stra, pro commodissimo doctrinae ac eruditionis asylo usquequaque habuerim, nec a dignis scholarum aestimatoribus aliter habendas esse censuerim. Neq; vero diversum existimasse puto summos Imperatores, Reges atque Principes, qui iis fundandis, erigendis, augendis, conservandis, honorandis, summo invigilarunt studio. Certe Carolus ille, ob gestarum rerum magnitudinem, Magni nomen indeptus, suae putavit magnificentiae, ludos condere literarios, ac de lautis stipendiis Praeceptoribus & discipulis prospicere: nec quod ipse lycea interdum inviseret, ac ignavos severe corripere, diligentes autem summis laudibus ornaret, hoc ipso gloriam bello partam obscuravit, sed magis magisque illustravit. Nec maximam Magni Pompeji auctoritatem minuit, quod victor ex Asia reversus Posidonii Philosophi aedes salutandi & audiendi ejus gratia Rhodi ingressurus, splendoris imperii fasces janua reverenter submiserit. Taceo Maximilianos, Othones, Fridericos Germanorum Imperatores: praetereo Ludovicos & Franciscos Galliae, Alphonsos Arragoniae Reges: qui omnes & singuli nihil per totam vitam omiserunt, quod ad ornandas augendasque Scholas ac stabiliendam rem universam literariam visum fuit facere. Ceterum, etsi olim Scholae ac ordo scholasticus in  
magno

magno fuerit precio, nec ulla Respubl. sine insigni  
 suo detrimento & interitu certissimo iisdem ca-  
 rere queat; fit tamen nescio quomodo, ut nec  
 istis, nec illarum Præceptoribus suum jam am-  
 plius honorem, suumque precium constare, imo  
 hos quoque pro ipso honore ludibrium, pro lau-  
 dibus convitia, pro stipendiis inopiam sæpe sæ-  
 pius reportari videas: ut mirum non fit, si tot cala-  
 mitatibus pressi ante diem de vita decedant; aut  
 molestiarum, egestatis, malevolentia & calumnia-  
 rum pertæsi, hastam scholasticam abjicere, & re-  
 licto sterili & molesto erudiendæ juventutis la-  
 bore aliud vitæ sectari cogantur genus, cui plus  
 dapis, & minus invidiæ conjunctum sit. Atque  
 hanc indignitatem cum intueor, parum profe-  
 cto abest, quin Ludimagistrorum conditionem  
 in hac mortalitate longe miserrimam esse judi-  
 cem, vixque putem vitæ genus existare, quod ma-  
 joribus malis, cruciatibus & miseriis obno-  
 xium sit. De hac ipsa autem Scholæ Præce-  
 ptorum miseria dum in solenni hac Panegy-  
 ri verba decrevi facere, Auditores Optimi, ut  
 conatum hunc meum orationisque cursum fa-  
 vore vestro sublevetis, gratia juvetis, benivolen-  
 tia confirmetis, æquo judicio & assensu susten-  
 tetis, quanta possum animi contentione atque  
 studio, quantaque debeo cum observantiæ si-  
 gnificatione peto atque contendo.

Ne-

8.  
Nemo vestrum est, qui nesciat, Auditores, Sisyphium laborem apud Poëtas veteres maxime decantatum esse. Finxerunt enim illi Corinthiorum tyrannum Sisyphum magno nisu apud inferos eo contendente, ut ingens saxum supra altissimi montis verticem manibus pedibusque volveret; at cum jam non abesset longe, quin cacumen montis supergrederetur, tum grandem istam molem per validam quandam vim repulsam in planitiem revolutam fuisse, & sic miserum hominem, identidem huic labori instantem, & sudore per universum corpus manante & exquisitis doloribus confectum necquidquam promovisse. Ingens profecto maximeque molestus labor est scholasticus, & cum saxo Sisyphi merito suo comparandus: quippe qui Scholæ Præceptores sedulo officium facientes ita defatigare, affligere ac enervare solet, ut haut credam bajulum ullum aut restiarium graviori labore perfunctum, aut ita confectum & labescentem sub onere suo feri adventum vesperi anhelare. Queritur de multitudine laborum onerumque gravitate apud Æsopum asinus; sed miseri ludorum literariorum magistri de varietate & multitudine studiorum, de horarum, quibus assidui prope & accubui docere coguntur concatenata serie, de molesta styli exercitia

9.  
citia, tamquam Augiæ quoddam stabulum  
perpurgandi opera, deque infinitis sudoribus aliis  
majori jure conqueruntur. Nesciunt sane fortu-  
nam suam sutores, cerdones, veteramentarii,  
capfarii, fullones, & universa opificum manus:  
alias præ Eruditorum ordine, & præ magistris  
scholæ in primis, terque quaterque se beatos præ-  
dicarent, neque, quod fieri consuevit vulgo, eo-  
rum conditioni inviderent. Dum enim isti  
suo corpore, sibi suisque victum quærunt, inge-  
nii vires ut intendant, necessum habent minime:  
quinimo si pensum propositamque telam absol-  
verunt, cibo potuq; recreati, in dulcem declinant  
lumina somnum, inq; utramvis aurem admodum  
secure dormiunt. At o bone Deus! non suffi-  
cit interdum balbutiens pueri os formare, virtutum  
omnium fundamentum, pietatem, & mores com-  
positos, optimasq; artes & literas inculcare, bonos  
laudare, pravos objurgare, mulctamque pro jure  
scholastico irrogare; sed partem etiam nocturni  
temporis, imo integras sæpe noctes studiis vendi-  
care, oculosque vigilia defatigatos cadentesque  
in opere sustinere debent gnavi Præceptores. Atq;  
utinam liceret aliquando scholæ doctoribus tam  
beatis esse, ut animum continuis ex redeuntibus  
in orbem meditationibus fractum per somnum  
refocillare possent; nec sæpe sæpius diligentes &  
B fide-

fideles magistri quererentur, fugere illum oculos,  
 nec calefactum & palpitans cerebrum eundem  
 admittere. Ne vero solæ sint vigiliæ, quæ affligant  
 Præceptorem scholæ & excrucient, plerumque  
 comites se illis sistunt ægrotudines aliæ; cachexia  
 puto, cholera, capitis gravedo, hypochondriorum  
 dolor, melancholia, & quæ ipsa instar morbi  
 est, durissima ante diem senectus. Quam multipli-  
 cem Ludimagistrorum ærumnam cum ponde-  
 raret felicissimus lacteæ venæ pater Buchananus,  
 elegantissimis eandem deflevit elegis; ex quibus  
 si aliquos in medium attulero, nunquam puto  
 fore ut vos auscultationis, me vero recitationis  
 pœniteat.

Ante diem curvos senium gravé contrahit artus,  
 Imminet ante suum mors properata diem:  
 Ora notat pallor, macies in corpore toto est,  
 Et tetrico in vultu mortis imago sedet.  
 Otia dum captas, præceps in mille labores  
 Irruis, & curis angeris usque novis.  
 Nocte leves somnos resolutus compede fossor  
 Carpit, & in mediis nauta quiescit aquis:  
 Nocte leves somnos carpit defessus arator,  
 Nocte quies ventis, Ionioque mari,  
 Nocte tibi nigræ fuligo bibenda lucernæ  
 Si modo Calliope's castra sequenda putes:  
 Et tamquam Libyco serves curvata metallo  
 Robora & Herculeâ poma ferenda manu,  
 Pervigil in lucem lecta atque relecta revolves,  
 Et putri excuties scripta sepulta situ.

Sæpe



Sæpe caput scalpes, & vivos roseris ungues,  
 Irata feries pulpita sæpe manu.

Hinc subitæ mortes, & spes prærepta senectæ  
 Nec tibi fert Clio, nec tibi Phœbus opem.

Neque sane mirum est, Auditores, tot tantasque  
 curas transversum rapere animum, & nunc cor-  
 poris, nunc ingenii vires imminuere. Nam, videte  
 quæso, effrænam hac effœta mundi ad interitum  
 vergentis senectæ juventutem, & variis vitiis fla-  
 gitiisque deditam. Intuemini mecum capita  
 quorundam præfracta, & cervicem multorum  
 obstipam. Inspicite mores plurimorum incom-  
 positos, & Deo bonisque omnibus invisam in-  
 solentiam: quam quidem cum reprimere, fle-  
 ctere, coërcere, & quantum licet, extirpare boni  
 Præceptoris sit officium: annon fatius, longeque  
 sit commodius, trusatilem versari molam, aut  
 porcorum gregem pascere, vel tauros stimulis in  
 ordinem redigere; quam tot tœdiosissimas pul-  
 verulentæ officinæ molestias devorare; pruden-  
 tibus horum laborum censoribus dijudicandum  
 relinquo. Eo enim res hodie devenit, proh dolor!  
 ut inmanem facilius leonem, feramque tigridem  
 coërceas, quam stolidis multorum adolescentium  
 mentibus, probitatis, honestatis & obsequii amo-  
 rem inspires. Sunt qui plumbeas iras gerunt ob  
 datas justissime poenas, doctoresque suos bene  
 de se meritos odio habent, & tamquam tortores

quosdam aut carnifices reformidant. Sunt, qui in absentes conviciorum plaustra eruçant, eosdemque si non ferreis stylis; id quod tamen B. Cassiano, & subtilissimo doctori Scoto à sceleratis discipulis obtigisse memorant; trifulco tamen venenatae linguae telo obtruncant & confodiant. Et licet perditus & pernox mediteris certissimas leges ad id promulgatas, ut simul in studiis & moribus probitateque proficiant; saepissime tamen fraudem illis faciunt, & confictis technis elabuntur. Quod si convincantur quandoque, & proinde lustranda sint & plectenda eorum peccata, saepe negocium est Praeceptorum cum parentibus, qui caeco amore ducti, palliant ista, ac cum Terentiano Mitione elevant, & excusant: utque in alios animadvertas, eosdemque pro delicti qualitate plectas, tamen id suis nequaquam debere fieri, praepostero quodam iudicio persuasum habent: atque ita vitii ab ineunte aetate frigidam suffundunt, & ad peccandum veluti fomenta quaedam & irritamenta suppeditant. Quod vero non minus est dolendum, ipsimet adolescentes, si ad aliquam in studiis frugem pervenerunt, & gravioris alicujus ingenii cultus gratia abeundum, non raro discedunt *ἀχαίσιως*, & pro auro, quod dici solet, carbonem rependunt illis, quibus vel ipso Philosopho teste,

13.  
teste, una cum Deo & Parentibus non redditur  
justa compensatio. Jam porro tralatitium est,  
quicquid criminis in discipulo hæreat, id omne  
non ipsius culpæ, sed magistri negligentia; non  
extraneis malis, sed voluntariis cesationibus ad-  
scribere. O igitur indignam Præceptorum  
scholæ sortem! o miseram magistrorum vi-  
tam! o acerbissimam doctorum juventutis  
ægritudinem! quam nec herbarum, nec florum  
succis, nec radicum germinumque olea, nec la-  
pillorum & gemmarum ignibus expressi liquo-  
res; sed unica magnorum malorum medicina,  
patientia, levare aut minuere possunt.

Ceterum, ne non satis miseri sint, qui gra-  
visimos quosque labores suscipiunt; qui omni-  
bus vitiis obviam euntes, multum provident,  
multum consulunt, & quidem diversis diverso  
modo, ut suum cuiq; malo adhibeatur reme-  
dium: si res pro voto non succedit; si fallit ex-  
pectationem pullulans frutex; si oleum omnem-  
que perdunt operam; si pro gratiis ἀχαρισίαν, pro  
amoribus odia, pro favoribus iras reportant,  
stipendiorum porro & præmiorum exiguitas  
miseram eorum miseriam nobilitat. In histrio-  
nes, gladiatores, funambulos, saltatores, citha-  
roedos sic fati alicubi liberales sumus, iisque,  
aut ejusmodi farinae hominibus aliis de lautis sa-  
lariis

lariis prospicimus: si quid illis desit, quo commodius aridam faucem Maslico vino, aut nobiliori liquore alio proluant, & veste holoserica auroque distincta superbiant, eorum necessitatem juvamus. At ubi digna pro tantis laboribus præmia fidei juventutis doctoribus constituentur, aut minutiora augeantur, paucissima hæcenus loca videre mihi contigit. Salaria, quibus pascuntur aut sustentantur Præceptorum plurimi, riderentur aut contemnerentur a vilissimis e vulgo capitibus. Dum plerique atropani sufficienter parando annuos redditus impendunt; cura de obsoniis, vestitu necessario, comparandis libris & reponendis reliquiis vel cum vitæ damno & dedecore rejicitur, vel eo medelæ genere conficitur, quæ novis avaritiæ & πλεονεξίας suspicionibus ansam & occasionem præbeat. Quorundam Ecclesiæ pastorum avaritiam exosam vulgo esse, & tantum non publicis proscindi conviciis, in propatulo est: utut sæpe sæpius exempla demonstraverint, non cæco pecuniæ amore; sed gravissimo necessitatis telo adactos, de quærendo sibi proliquo suæ victu, corporisque cultu modo non improbando sollicitos fuisse: imo hos, qui pro ditissimis sunt habiti, præter librariam suppellectilem, & amplam liberorum coronam, parum aut nihil ab excessu suo

suo

suo his in terris reliquisse. Gemina certe de quamplurimis Scholarum Præceptoribus licebit affirmare; quippe quorum stipendia tenuiora sunt plerumque, & raro ejusmodi beantur adjicialibus, quos accidentia solemus appellare, numis, qui ipsam stipendiorum summam exæquent, & interdum superent. Quamobrem de hac miseria jamdudum sunt conquesti non pauci magnæ dignationis clarique nominis viri: ex quibus unicum saltim Dornavium, eoque lubentius in scenam producam, quo majori cum animi voluptate percepi, tantum rei literariæ statorem, utut fato sinisteriori defunctum, suos Salfeldensi huic civitati natales debere. Accipite igitur ejus verba, ex Vlysse, quem sic inscribit Scholastico repetita. *Occurrit illud quoq; ut in manifesta luce positum; ita pudendum dolendumque: salaria numerari doctoribus juvenutis ipso nomine indigna: quadraginta, quinquaginta, plus minus sexagenos. Velim hic in opificum descendatis mecum officinas: velim examinari eos, qui in sutrina sedent, in tonstrina; in taberna sartorum fartorumque, in officina cerdonum, bibliopegorum, ad fornaculas fabrorum, pistorum, in pistrino denique ipso: faciamque sponsonem; plus lucrari quavis hebdomade ex opificibus istis calibem aliquem administrum;*

strum; quam præceptorem minorum gentium in Schola, maritum & patrem. O seculi pudor & infamia! Nihil difficilius est, neque ulla tam ardua ars excogitari potest, quam ea æstimetur vere; quæ hominem, omnium animalium morosissimum, ad humanitatem traducit; in qua universorum salus communis, propria item singulorum agitur. O indigna hominibus sordities! Quid nobis tandem continget? Annona caritas succrescit, non ita Præceptorum salaria; quæ imminuta malunt osores literarum & salutis publicæ. Ergo nausea quadam oboritur ingenii, operandi Scholis; aut si quis desperatione verius, quam amore docendi pallium Philosophicum capit: aliis artibus & commerciis ab ordine suo alienis vacat; quo saltim stomachum placare latrantem, prolemque ut stipem roget, prodituram, misero domicanio tenere possit. Hæc Præceptorum negligentia hic in alienissima distractus animus, & homo universus, poteritne vel meditari ea, quæ in rem forent discentium, ut instare operi Scholastico continua diligentia & fide queant. Ferenda etiam hæc esset tenacitas senescentis mundi; si modo, quæ equisonibus sæpe, sæpe a vlædis, citharædis, morionibus, alchymistis, scurris, mimis, gnathonibus contingunt beneficia luculenta & strenua insignes & ingentia

ingentia donaria, magistris in Schola conferrentur saltim mediocria. Verum apud Magnates nemo facilius exploditur quam Philosophus gratiam appellans; nemo falsius abscedere iubetur, quam munusculum rogans pro pulverulento suo labore qui in Schola desudaverit. Sequuntur plura ejus generis, quæ, ne nimis diu in hoc argumento morer, prætermittenda censeo. At enim, etsi tam exigua, tam tenuia sunt juventutis formatoribus stipendia; reperias tamen, ubi nec ipsa justo numerentur tempore; sed ultra præfinitum a majoribus spatium differantur: ut adeo, quod offerri ultro debebatur, precibus prius, aliisque liberalem animum dedecentibus remediis efflagitandum atque extorquendum sit. Quæ quidem maxime molesta debitorum mercedis retentio non potest non cum ingenti familiaris rei detrimento, ut de suspiriis nunc nihil dicam, conjuncta esse: cum alioquin, quod cito datur, bis dari, communi proverbio censeatur. Abeant ergo nunc illi, qui Stagiritas, Marones, Flaccos, Oppianos, aliosque rei literariæ Atlantes exigunt, nec se amplius eosdem reperire indignabundi queruntur. Nimirum nulli Alexandri apparent, qui talenta octingenta pro descriptis animalium naturis persolvant Aristoteli: nulli Octaviani Augusti, Mæcenates nulli,  
 C qui

qui Virgilio tibiā, Horatioque lyram luculentis  
 exornent præmiis: Nulli Severi Cæsares, qui  
 Oppiano, piscium naturam, genera & capturam  
 describenti pro singulis versibus singulos au-  
 reos numerent: Nulli Antonini Pii, qui præ-  
 ceptorum imagines auro fusas in larario aser-  
 vent, statuas ipsis erigant, aut ad Proconsula-  
 tum promoveant: Nulli Hadriani, qui eos equi-  
 tes auratos creent: nulli Dionysii, qui albis eos  
 quadrigis præstolentur & deducant: nulli, ut  
 paucis me expediam, Constantini, Theodosii  
 Martiani, Valentiniani, qui vitæ scholasticæ Pro-  
 fessores haut vulgariter non solum ament; verum  
 honorifica quoq; stipendia numerent, quæ non  
 tantum iis sufficiant, sed ad ipsorum etiam ho-  
 norem pertineant, graves vero annis Præcepto-  
 res optimeque de juvenia meritos, rude dona-  
 tos luculentis præmiis instruant. In quam rem  
 cum devenio, non possum non mirifice cele-  
 brare magnificum, omnibusque sæculis memo-  
 randum Stetinensium institutum, qui Valentino  
 Lolejo, annos octoginta, & quod excurrit, nato,  
 postquam quinquaginta annos laudatæ civitatis  
 Scholæ cum summa laude præfuisset, ritu ma-  
 xime solemni, in loco publico vacationem labo-  
 rem indulserunt: dum cano viri venerandi capiti  
 coronam lauream, aureis quos rosas nobiles so-  
 lemus



lemus appellare, numis distinctam, per Apollinem Musasque personatas, inter plausus & gratulationes acclamantium, anno hujus seculi septimo & vigesimo imponi curaverunt. Ut fruges aeris temperie cæloq; liquidiore exuberant: haut secius bonæ artes & eximia ingenia benignitate, honorificentia humanitateq; evocantur, contraq; invidia, sordibus, morositate eorum, qui rerum potiuntur, marcent & languescunt. Quis enim est, qui si vel nullam, vel tam exiguam laboribus suis mercedem tribui sentiat, non animum cum ferula abjiciat, eque pulvere aut arena discedens, scholasticas functiones, tamquam orci portas odisse atque fugitare incipiat?

Verum enim verò, quod salario, quod stipendiis deest, id honorem atque dignitatem, quam Præceptores a Schola habent maximam, largissimo fœnore compensare dixeris: cum nimirum honorem artes artiumque cultores alere, vetus & Sibyllæ oraculo verius verbum sit. At longissime profecto fallitur, quisquis ita sentit, Auditores, cum vix quisquam mortalium in minori existimatione sit, quam qui adolescentiæ moribus formandis fingendisque animis operam suam accommodat. Locus, quem ipsi inter eruditos plerumque habent ultimum, satis clare inter alia demonstrat, quo sit loco misera

illorum conditio. Certe alicubi beatos sese prædicarent doctrinæ morumque formatores publici, si verbi divini ministris iungerentur, nec, quod interdum fieri amat, vulgari semidoctorum cœtui, imò hominibus nescio quibus postponerentur. Scilicet, quis hodie modis indignioribus tractatur quam Præceptor Scholæ? in quem plura aut majora dicuntur convicia, quam in bonum ludimagistrum? quis pluribus fannis, sibilis, ludibriis expositus est, quam qui bonis artibus & disciplinis informat juventutem? adversus quos criminationes audiuntur liberiores, iudicia severiora, sententiæ acerbiores; quam adversus eos, qui adolescentiam non ex matrum opinionibus atque erroribus regunt, aut a patrum institutis ac præscriptis, quibus ipsi in pueritia vel advesfacti, vel etiam cum cogentur, adstringi non potuerunt, discedere alicubi deprehenduntur? ut adeo scholasticus hic ordo propriam quasi mercedem sibi vendicare videatur, extremum laborum studiorumque suorum contemptum. Nec leviora tantum errata reprehensionibus & voculis malevolorum hominum patent: sed sæpius optime dictis factisque obtrectatur iniquissime, & in pejorem partem rapiuntur omnia. Nihil profecto tam est sanctum, quod non cavillis suis in suspensionem; nihil tam cautum, quod non

non

non in invidiam; nihil tam præclarum, quod non in odium vertant. His, in bonos favor & humanitas, indulgentia est; in improbiore & contumaces severitas, tyrannis appellatur & crudelitas. Si quid graviter dictum est, acerbitati; si quid mitius, remissioni & supinæ negligentiae tribuitur. Si cui in poenis propter spem emendationis aliquid condonandum, moderationis minus honesta ratio intervenisse fingitur. Si propter morum pravitatem durius animadversum, privata odia, & a parentum memoria similtates, ac immanis vindictæ cupiditas falso proferuntur, & tragice exagitantur. Calumnia, calumnia inquam, nullibi magis patentem campum habet; nullibi frequentius sedem figit; nullibi impunius grassatur ac sævit. Nemo sane tam rudis, tam ignarus literarum est, quin in eruditissimos scholæ magistros invehi, & plenis buccis debacchari gestiat. Atque ita comparatum est, ut quo quisque est indoctior, eo imperiosius nemini cedens, majorique cum indignatione & malitia petulantem suam linguam in bonum Præceptorem exerceat. Quo enim illæ voces? Hem tibi miserum Philosophastrum! Vidistine pediculosum illum (sit honos auribus vestris) anitympanistam? Ecquid placet induvium vulpeculæ hujus scholasticæ? Num odoraris pedorem hujus lite-

rionis sorditi? Contemplare sodes frontem & supercilium de schola Philosophi! Eccum immorigeratum illum Calamyfium, ungues & calamos pro ambrosia, & atramentum lucernæq; oleum pro nectare sorbentem! Quinimo, ne quid desit miserrimæ magistrorum miseriæ, ipsissimæ politiores literæ, ac amoenissima humanitatis studia, quibus excolendis nec diurnis nec nocturnis parcunt sudoribus, vertuntur ipsis vitio. Linguarum studio, quod Philologiam passim nuncupamus, quid suavius? quid elegantius? quid politius? quid utilius? Neque tamen hæc ipsa elegantia, summa hæc suavitas, maximaque utilitas prohibere potest, quominus Grammatices cultura, tanquam insigne quoddam flagitium innocentissimo hominum generi objiciatur. Et ut taceam Vespasianum & Hadrianum Imperatores civilium munerum vacationem Grammaticis indulgentes; tam certum est, quam quod certissimum, Grammatici titulum in tanta quondam existimatione fuisse, ut summæ etiam dignitatis viri eundem non refugerint. Nunc autem, ut in pejus omnia vertuntur, hæc elegantiora studia usque adeo eviluerunt, ut in iis qui vigilant infra ultimæ sortis homines collocentur, captatores apicum ac vocularum aucupes vocentur, & pro hominibus in Ennianis sterco-  
ribus,

ribus, & titivillitiis Plautinis occupati ad seria  
 quævis negocia inepti habeantur. Multiplicatur  
 hodie *μισομύσεων*, Gnosimachorum, Cyclosum ac  
 Centaurorum turba super numerum: Bamba-  
 liones, Balatrones, Cynici singulos universi orbis  
 angulos undiquaque occuparunt, asperrime &  
 acerbissime ordinem hunc in vulgus traducen-  
 tes, & doctores *καθ'άγωνα*, scholas ignaviae esse of-  
 ficinas vociferantes: non secus ac olim impius il-  
 le apud Aristophanem Strepfiades injustitiae ad-  
 ministras eas esse, grandi opinionis errore per-  
 suasus erat. Per hos itaque infensissimos Musarum  
 hostes si starent ac caderent res scholasticae,  
 non secus ac olim Lyfimachus toto regno Philo-  
 sophos, sic illi innocentissimum genus homi-  
 num, scholasticos doctores a statione dejicerent:  
 ac ut olim mundi Servatorem Gergeseni, sic illi  
 literatos, & eos in primis, qui optima quæque in-  
 culcant juventuti, quique in majori apud ipsos  
 dignitate non sunt, quam ancilla domi (sic venia  
 Plautino dicto) quæ latrinam lavat, a finibus suis  
 arcerent & ejicerent. Quisquis autem acerbissi-  
 mum hunc & literarum, & literarii ordinis con-  
 temtum considerat, nec summam tamen Scho-  
 læ Præceptorum miseriam videt, illum certe Tire-  
 lia cæciorem esse, & peponem pro corde, fun-  
 gum pro cerebro habere judicaverim. Quid igitur  
 tur

tur mirum est, si hac extrema ignominia moti doctiorum plurimi vel plane non admove-  
 re manum aratro scholastico velint; vel admotam  
 prima occasione inventa retrahant; nec dignum  
 sua indole ingenium liberale judicet ita serviliter  
 contemptim haberi, cum majori existimatione in  
 alio vitæ genere gaudere possit? Ceterum o uti-  
 nam insipidum vulgus hac tantum ægritudine  
 laboraret, nec sæpe Dii majorum gentium in ea-  
 dem navie essent. Ipse haut raro magistratus,  
 ne quid celem, transilire lineas, & quorum se  
 Patronum & Nutritorem jactitat, eorum vilissi-  
 mus æstimator deprehenditur. Non desunt, qui  
 infra suam dignitatem arbitrantur, si vel perci-  
 piant quidpiam, vel præcipiant, quod ad doctri-  
 nam, ad disciplinam juventutis rite moderandam  
 pertinet. Nimirum purpuram suam dedecere  
 putant inter lacera ordinis scholastici pallia ver-  
 sari; nec sceptrum suum cum Pædotribæ virga com-  
 mode componi posse autumant. Molem, ajunt,  
 Reip. & distractas curas ad graviora vocare ani-  
 mos erectos, nec suam lautitiam foetorem pul-  
 veris scholastici ferre posse. Quare si ad hos, aut  
 ad eorum ministros justæ Præceptorum que-  
 relæ deferuntur, dici non potest, quam lente res  
 procedat, aut quam raro voti sui reddantur par-  
 ticipes. Neque tamen hæc eo dicta existimari  
 velim,

velim, ac si omnes, qui cum imperio sunt, ejusdem mentis esse putem; aliquos enim in alia omnia abire, & scholarum & doctorum Scholæ fortunas fartas tectasque conservare docemur. Quæ quo rarior hoc ævo est felicitas, eo beatiores omnibusq; copiis affluentes reddit Respublicas. Quod si igitur ludorum publicorum magistri faventes interdum habeant Rerumpubl. præfides; alicubi tamen ipsi Ecclesiarum Pastores, atque ii præsertim, qui aut nunquam in Scholis laborarunt, aut laborare nequeunt, aut alias scholasticos labores nauci æstimant, bonorum Præceptorum sunt carnifices, ne non sint vexati semper atque miseri. Rem forte miram vobis narro, Auditores optimi; sed non tam raram atque insolentem, ut non de hac miseria interdum conquerantur magistrorum optimi. Judicate ergo, Auditores, annon vera scripserit Vir de universa re literaria non minus, quam de juventute Scholastica præclare meritus, Michaël Neander, Abbas cœnobii, ac Rector Gymnasii Ilfeldensis celeberrimus, in elegantissimo Græco carmine, de miseria, at dignitate etiam & gloria Pædagogorum, quod aureo operi, ceu vocat, Scholastico insertum legimus:

D

τολλε

26.

πολλὰ καὶ αὐτοὶ ἱερῶ λόγιοι  
Κήρυκες, δειλὰς χολέων κακῶσι  
κοιρανῶς, πολλὰς τε διδῶσ' ἀνίας  
ἢτε μερίμνας.

Ἀλλὰ τοῖσ' τοῖσι μεγαλόφρονες μὲν  
Ἐἰσὶ καὶ τιμὰς μόνον ἦντε δόξαν  
εἰ τὰ Χειρῶ διζήμεν' εἰδ' ὄνειαρ  
ἱερῶ ὁμίλῃ.

Quæ quidem græca ad verbum sic expressit clarissimus Scholæ Lunenburgensis Senatoriæ Rector Johannes Kettembeilius, Fautor & Amicus meus conjunctissimus :

*Sæpe etiam ipsi sancti verbi  
Præcones, miseros scholarum afflictant  
Rectores, multasque dant miserias  
aut curas.*

*Sed tales superbi quidem  
Sunt, & honores solum suamque gloriam,  
Non quæ Christi quærunt, neq; commodum  
Sancti cætus.*

Tantum tamen abest, ut omnes divini verbi præcones eodem loco sint habendi, ut contra plurimos reperire liceat, qui nulli parcant operæ, ut & Scholæ sint florentes, & Scholarum Præceptores dignis laudibus, præmiis, honoribus ornentur. Id quod non ignoravit callentissimus harum rerum omnium Neander, cujus elegantes



tes in hanc sententiam versiculos ex laudato  
carmine non pigrabor afferre.

Ευαγεῖς ἢ τῆς τριάδος Φαιειῆς  
λάτεις, θυμοῖς πινυτοῖς ἀγίας  
Παιδαγωγόντων χαλεπὰς νοῦσι  
ἢ μελεδῶνας:

Κ' ἀξίην αὐτοῖς μάλα εὖ καλῶστε  
Τοῖς τε μυσείοις νεμέειν καλίφοις  
ἾΟῖδασιν πμὴν κραδίαιστε ἐδλαῦς  
Αμφαγαπάζειν.

Quæ sic latine vertit noster Kettembeilius:

*Vere autem pii Triados splendida  
Servi, animis prudentibus miseras  
Præceptorum graves intelligunt  
Ἔς curas:*

*Et dignum ipsis valde bene pulchreque  
Et scholis attribuere optimis  
Norunt honorem, cordibusque bonis  
diligere.*

Et sane, cum vestram humanitatem ac benivo-  
lentiam erga hanc Scholam, Scholæque hujus  
Præceptores intueor, & præclara, quibus me  
jamtum excepistis, officiorum ac beneficiorum  
genera repeto; Venerande Domine Superatten-  
dens, Reverendi Domini Pastores; non possum  
non & collegis meis, & mihi de vestro amore  
ac favore gratulari, atque una & meo & colle-

garum nomine obnixè a vobis petere, velitis eundem animum semper adversus nos fervare, & nobis, nostrisque commodis, quantum in vobis situm est, strenue opitulari.

Nec minus & vos appello, Salfeldensis Civitatis Consules & Senatores, etiam atque etiam rogans, velitis in posterum Rectorem Scholæ vestræ, velitis ceteros Scholæ magistros commendatos habere, ut eorum fortunæ, honor & auctoritas necquidquam detrimenti patiatur; sed magis indies magisque aucta de invidorum, malevolorum, zoilorum, improbitate, malitia, livore triumphare possit.

Quod si a vobis impetravero (impetraturum autem me confido) tam certus sum, quam quod certissimus, reliquas, quæ nos circumcingent, miseras non parum imminutum iri. Exposui hæc hactenus, Auditores, magnam Præceptorum Scholæ miseriam: sed ita eandem exposui, ut delineasse illam potius, & ex innumeris molestiis paucissimas delibasse censendus sim. Si enim omnia & singula in medium afferre vellem, non integer dies, sed vix unus atque alter mensis sufficerent. Quapropter, ne aut nimium vobis videar *μεμνημένος*, aut vestra abutar audiendi patientia, de his dicendi finem faciens, ad meam personam, quam in regenda juventute literaria deinceps sustinere jubeor, cum pace vestra descendo.

Ad

Ad studiorum publicorum & disciplinæ scho-  
 lasticæ moderationem me solenniter vocatum  
 esse, ex Reverendi & Amplissimi Domini Super-  
 attendentis oratione intellexistis. Quamquam  
 autem me eum non esse fateor, quem aut Scho-  
 læ hæc desiderat, aut sacrum Serenissimi Ducis  
 Consilium, aut hujus civitatis primores me esse  
 judicant: tamen per Christi gratiam eum me  
 præstabo, ut quod ætati, quod ingenio, quod do-  
 ctrinæ, quod experientiæ rerum magistræ deest;  
 id studio, industria & fide sarciam; ne qua in re,  
 vel juventæ commodis, vel officio, vel conscien-  
 tiæ meæ defuisse videar: & ut paucis omnia com-  
 plectar, quicquid agam, unice illud erit infixum  
 animo meo, SALVS REIPVBL. SCHOLASTI-  
 CÆ SVPREMA LEX ESTO. Istud etiam non  
 parum me confirmat, & singulare quoddam ro-  
 bur addit, quod adjunctos habeam *συνεργος*, Viros  
 virtute, eruditione, morum humanitate & svavi-  
 tate præstantissimos, meique amantissimos, te-  
 que in primis Clarissime PESCHELI, Fautor &  
 Amice svavissime; quos ipsos ad doctrinæ salu-  
 taris propagationem & piam juventutis educa-  
 tionem animos scio adferre invidia, ambitione  
 & æmulatione vacuos. Singulos etiam, præser-  
 tim vero eos, quibus aliqua pars administrationis  
 demandata est, prompto animo suppetias laturos,

30.  
suūmque ἑπιβάλλον μέρ<sup>30.</sup> ad Spartam hanc scho-  
lasticam rite exornandam & amplificandam col-  
laturos, ita plane mihi persuasi, ut de voluntate,  
fide & industria eorum minime dubitem. Labo-  
res scholastici cum per se sic satis sint molesti,  
eosdem mutuo amore & concordia allevare  
conabimur. Ego quidem etsi me hominem, at-  
que adeo humani nihil a me alienum esse fateor,  
animum tamen gero φιλήσυχον, pacisque ac tran-  
quillitatis cupidum; admonitiones bonorum,  
modestas sicubi errem, facile accipio: suum cui-  
que honorem habere meipsum condoceseci, be-  
nivolentia vero & studio concedo nemini: eun-  
demque animum, de quovis vestrum, Collegæ  
optimi, mihi polliceor.

Vos vero, florentissimi Juvenes, fidei nunc meæ  
commendati, sedulo hortor ad pietatem, ad pro-  
bitatem, ad obsequium, ad diligentiam denique  
& dexteritatem in discendo tantam, quantam  
in nobis docentibus requiretis, & ut spero, spe-  
ctabitis. Quod si vestri quod est officii, sedulo  
feceritis, dictoque audientes fueritis, non Præ-  
ceptores nos, sed affectu parentes habebitis, nec-  
quidquam omissuros, quod ad vos ornandos  
pertinebit. Neque enim nisi bonos amore di-  
gnos judicamus. Si qui vero sunt, qui temerario  
ausu contra ierint, qui in exequendis officii par-  
tibus

tibus se negligentes exhibuerint ; eorum negligentiam, petulantiam, aut pervicaciam retundere ac debitis poenis coercere non pigramur : id quod tamen ut nunquam fiat, omnes mecum boni optabunt.

Quod reliquum est, Deum Opt. Max. supplicibus votis veneror, velit Serenissimum Ducem FRIDERICVM WILHELMVM Seniore, velit Serenissimum Principem FRIDERICVM WILHELMVM Juniorem, velit Serenissimam JOHANNAM MAGDALENAM, velit Serenissimam DOROTHEAM Viduam, Principes nostros Clementissimos servare, omnibusque animi, corporis & fortunæ bonis magis magisque indies beare : ut hæc civitas, inque illa Schola hæc sub fortissima illorum tutela atque patrocinio vigeat, floreat, suumque jubar per amplissimum hunc Principatum & circumjacentes regiones diffundat. Protegat Deus magnificos Serenissimi Ducis nostri & in sacro & in civili consilio Consiliarios : Custodiat Reverendum hujus Ecclesiæ Ministerium : faveat amplissimæ Ducis Præfecturæ : adsit prudentissimo hujus urbis Senatui : regat discentes Sancto suo Spiritu, ut in hoc pietatis & bonarum literarum seminario innumeri efflorescant, qui κεχαρισμένα τὰ Θεοῦ in  
hac

32.  
hac vita dicant & faciant, & deinde in cœlesti  
Academia Christum laborum nostrorum præsi-  
dem cum Patre & Sancto Spiritu, æterno divini-  
tatis conspectu fruentes laudibus vehant æter-  
nis & nunquam desituris.

Vobis autem Auditores omnium ordinum  
honoratissimi, qui mei honoris causa conve-  
nistis, & hanc solemnem panegyrim vestra præ-  
sentia, favore ac benivolentia coronare volui-  
stis, quibus verbis gratias agam dignas, non in-  
venio. Tacebo igitur, & actione gratiarum hoc  
tempore supersedebo: nisi forte gratiarum actio-  
nis hoc quoddam genus est, a quo beneficium  
acceperis, eidem te debere plurimum  
profiteri.

F I N I S.

33.  
MICH. NEANDRI CARMEN  
SAPPHICVM  
DE MISERIA ET CONTEMPTV VNA  
ETIAM DIGNITATE ET GLORIA PRÆCE-  
PTORVM PVBLICORVM &c.  
LATINE REDDITVM A VIRO CL.  
JOH. GEORG. KETTEMBEIL  
RECTORE SCHOLÆ SENATOR.  
LVNENBVRG.

**L**abor intolerabilis, magnaque miseria est,  
Dicunt vere, Grammatices, scripturæque  
Sanctæ præcepta arrogantem juventutem  
docere.

Multo vero est gravius curisque  
Plenum, majorque labor est  
Insipientes puerorum teneras mentes  
& mores formare.

Et sane rabies furorque major  
Dæmonis animarum hominumque interfectoris,  
Quam olim, nunc est, quoniam ad finem  
mundus inclinatus est.

Propterea etiam juvenus præsentis  
In tempore vitam magis impiam quidem  
Improba secat, vitamque omnino  
brutis similem.

Quæ impietas & petulantia  
Juvenum omnibus bonis & vigilantibus  
Præceptoribus, quam labor educationis,  
magis est molesta.

Quamquam non parvus labor est educationis:  
Impiorum tanta, malitia vero indecora  
Puerorum ultimæ prænuncia auroræ  
est vera.

E

Ad

Ad summum enim impietatis pervenere  
 Juvenes, neque laudibus doctrinisque pulcris,  
 Neque plagis, neque exhortationibus meliores  
 efficiuntur.

Neque beneficiis eorum animos  
 Stolidos movebis, cordaque indomita  
 Neque sane omni potentia, fiant  
 ut prudentes.

Sed beneficiis & laudibus  
 Arrogantes fiunt, agrestesque potius  
 Et mali, & crudivororum capientes  
 mores brutorum.

Et tu quidem omne (genus) facilius domabis  
 Brutorum, ævo in hoc præsentis  
 Pessimo, quam cor juvenis  
 agrestis.

Facilius tuis terribilis obsequens  
 Nutibus leo, robustusque ursus,  
 Quam tener puer obtemperans iustum  
 opus perficiet.

Pueri, crede, neque virtutis aliquem, neque  
 Pietatis aut honestatis amorem  
 Stolidis inspirabis præcordiis, quamvis  
 multa laborans.

Præceptores odio habent bonos,  
 Ceu quosdam valde acerbos tortores.  
 Infinitis technis ipsis machinantes  
 dolores parere.

Sed quod suis mentibus magnum damnum  
 Et malum ipsi imprudentes non intelligunt:  
 Stultitia enim mentibus puerorum  
 innata est.

Novimus, quomodo quis impius discipulus  
 Qui Præceptori suo non parere  
 Volebat, horrende laqueum suo collo  
 injecerit tristem.

Præ-



Præceptorem tradere sperans  
 Doloribus: plagas vero ut acceperunt alii,  
 Eadem minati sunt Præceptoribus se  
 suis facturos.

Quis autem non malit in pistrino  
 Ærumnosus labores sustinere indomitos,  
 Aut porcorum magnum gregem pascere  
 congregatorum:

Quam tantam puerorum impiorum fœdara  
 Impietatem perferre semper, tantos  
 Et tales inter labores, & intolerabile  
 pondus asini?

Queritur de multitudine laborum & operum  
 Apud Æsopum asinus: Sed nos  
 Martyres miseri verius hoc  
 facere possimus.

Septum fane odiosum Schola est vere.  
 Neque in vinculis vitam pejorem  
 Arcti vivunt, quam qui Scholarum  
 habenas tenent.

Vel etiam ob id præ omnibus  
 Hominibus puerorum doctores sunt  
 Miseri, quos adspicit luminibus  
 Phœbus suis.

Quod quidem hanc juventutem habenti  
 Et pulchre & bene faciunt, suaque  
 Benevola beneficia in eam  
 sæpe conferunt.

Hæc vero beneficia suis  
 Stolidis & insipientibus animis neque  
 Animadvertit, neque beneficientibus bonam  
 persolvit talionem.

Neque laborum magnitudinem, neque dolorum  
 Multitudinem, neque pondus potest curarum  
 Perpendere plurimarum, quod suis ferunt  
 miseri in humeris

Præceptores : insipienter vero omnia  
 Nullo prorsus digna æstimat sermone  
 Quæcunque efficiunt & laborant  
 multa patientes.

Æqualia illis faciunt , profundum  
 In fundum feminantibus sonori  
 Maris , aut Danaï filiarum  
 laborem habentibus.

Non enim in pontum canum feminantes  
 Acuto metunt aristas ferro ,  
 Sed cum multo labore etiam ipse  
 fructus perit.

Crudeles hinc mentes discipuli  
 Et ingratas retinentes , eos  
 Maledici tristibus infestant minis  
 convitiisque.

Et sermonum odiosorum acerbis jaculis  
 Et contumeliæ jaciunt , maledicosque  
 Sane sermones de illis apud alios  
 falso spargunt.

Et postquam plurima à Præceptoribus  
 Benivolis beneficia acceperunt,  
 Fatum comminantur horrendum, mortemque  
 luctuosam.

Videlicet hisce coronis maleficus  
 Hostis per expertes amoris discipulos  
 Ornat capita veneranda piorum  
 Præceptorum,

Qui ipsos operibus injustis  
 Occidunt, & apud plebem errantem  
 Et mendacii amantem faciunt audire  
 non valde bene

Sane talem homines judicant  
 Præceptorem esse, quicumque  
 Illius maligni quidem  
 sunt auditores.

Sed

Ad hæc vero non solum apud discipulos  
 Pravos parvum consequuntur honorem,  
 Sed illustre prudentum etiam virorum  
 nomen habentes.

Sæpe etiam ipsi sancti verbi  
 Præcones miseros Scholarum afficiant  
 Rectores, multasque dant misérias  
 aut curas.

Sed tales superbi quidem  
 Sunt, & honores solum suamque gloriam,  
 Non quæ Christi sunt, quærunt, neque commodum  
 sancti cœtus.

Vere autem pii Triados splendida  
 Servi animis prudentibus misérias  
 Præceptorum graves intelligunt  
 & curas.

Et dignum ipsis valde bene pulchreque  
 Et Scholis attribuere optimis  
 Norunt honorem, cordibusque bonis  
 diligere.

Gravis paupertas solos Scholarum  
 Domat Rectores, egestasque tristis  
 In umbra gravi vitam pulvereque  
 viventes.

Medici vero, Juris Consultique  
 Gloria multa magnoque honore  
 Bene florentes, divitias multique nominis  
 opes habent.

Sunt igitur boni prudentesque viri  
 Qui nostros inspicientes dolores  
 Et labores multos, pauperiemque miseram,  
 sic dicunt :

Non tantum sufferre dolorum onus, eum  
 Cui vivo horrenda a suo  
 Corpore membris que detrahitur mordaci  
 pellis ferros

E 3

Quan

Quantum qui multos errantem malamque  
 Et insipientem format annos pueritiam,  
 Quæ suis, tanquam optime factis  
 delectat opibus.

Sit ita: sed ipse Deus, quam distribuit  
 Oportet, quemque diligenter beneque  
 Ornare spartam, & suæ vitæ  
 labores perficere.

Ut Deo studium laborque ipsius  
 Utilis sit, generique mortalium  
 Et florida tanquam planta semper bene  
 fructum ferat.

Hujus gratia enim Deum colentium cœtus  
 A Deo Rege factus (est) hic,  
 Piæque Christum amantium est  
 finis vitæ.

Verum si multis Scholarum  
 Habenas habentes miseri premuntur  
 Doloribus, labores graves ferentes  
 & curas;

Grave etiam perniciosæ suis  
 Ponderis humeris egestatis portant,  
 Cumque tristi roboris pernicie  
 atram famem.

Multa vero rursus sunt, lætitiâ dulcem  
 Et gratiam multam laboriosis ferentia  
 Quæ præcedentium malorum acerbitatem sua quidem  
 suavitate vincunt.

Dulcia enim omnium rector malis  
 Miscere solet Deus, acerbisque  
 Dulcia junxit, lætitiâque miscet  
 luctibus.

Gratus illorum labor, operaque  
 Deo, ovilique ovium Dei  
 Utilis est artibus & domibus  
 omni vitæque.

Neque

Neque in omnibus labor vanus  
 Quos docent, est: quidam vero  
 Prudentes dictis honestis obediunt  
 Consiliisque.

Et pii sunt, qui optatis discunt  
 Pectoribus honoremque Præceptoribus  
 Suis tribuunt, & ex corde semper  
 diligunt.

Prudentia vasa misericordiæ divinæ  
 Deo & piorum choris,  
 Et Scholis, civitatibus, ipsisque  
 Vtilia populis.

Quorum vero animis iniqua semper  
 Opera & consilia curæ fuerunt turpia,  
 Primos mutant erroneæ malæque  
 mores vitæ,

Præceptorumque bene cupientium  
 Discunt beneficia intelligere,  
 Et pulchre beneque vident eos  
 omnia ordinare.

Quemadmodum splendido sine lumine  
 Solis mortalium vitæ laboriosa  
 Illæse, paneque manere & aëre  
 non valet hominum:

Sic sane vitæ artium pulcherrimarum  
 Et Scholarum humana & vigilantium  
 Præceptorum non potest vere  
 Expers esse.

Flumina enim Scholæ sunt civibus  
 Gaudium & lætitiæ ferentes,  
 Et Dei irrigantes immortalis  
 domum odoram.

Sunt fontes pulchri flui, a quibus  
 Sancta aqua dispersa vitam  
 Imbuit omnem, urbes & domos,  
 & ædes sacras.

Ex

Ex Scholis enim sapientiæ amatores  
 Et a Deo inspiratarum sanctarum Scripturarum  
 Scientes (veniunt) decus populorumque  
 divina fundamenta:

Quique Phœbeæ prudentia artis  
 Corporum gravibus medentur morbis,  
 Et legum interpretes aut jura

curantes:

Atque etiam alii utilesque  
 Viri & prudentia præditi,  
 Quorum vita mortalium hominum expers  
 non potest esse.

Scholæ pulchritudinis bonitatisque omnis  
 Sunt officinæ, in quibus  
 Præceptores fabri sunt colendi  
 operarii que.

Infelices quamvis ærumnosi sint,  
 Et malæ indigentia ferentes  
 Onus, & apud viros mortales parvum

consequantur pudorem.

Sed tamen utilissimum lucrum  
 Laboriosæ hominum vitæ  
 Et excellens donum præbent, commodumque  
 quam optimum.

His sine Præceptoribus, ars  
 Nulla erit liberalis,  
 Non scientia sapientiaque animi  
 humani.

Non Deiloquarum Scripturarum divina  
 Erit cognitio, & nemo sanctorum  
 Bibliorum, sanctus quæ consignavit Spiritus  
 curam habebit.

Et tandem Scholis non existentibus  
 Nullus erit piorum cœtus,  
 Qui Deum sanctis verbis celebrat  
 semper existentem.

Quo-

Quomodo quis sanctum Christi amantium cætum  
 Divinarum vocum ignarus docebit,  
 Quas in Scholis valde utilibus  
 solum disces.

Nec vere sacrarum inscius  
 Linguarum, Deiloquarum Scripturarum  
 Decenter diam interpretatibur vocem  
 neque intelliget.

Seu enim Spiritus Scriptura Dei  
 Bonis in linguis sculpsit,  
 In quibus ceu vagina occultatæ sunt  
 gladius acutus.

Plurimum ad interpretationem sanctarum  
 Scripturarum linguæ præbent utilitatem,  
 Quas certe non licet alibi, quam in  
 Scholis discere.

Certe Evangelii vitam juvantis  
 Deiloqua doctrina, solius  
 A Patribus propositi sanctum Dei  
 donum existit.

Sed ad homines pervenit propter  
 Linguas a Deo inspiratas, quorum ope  
 Apud mortales crescat & manebit  
 propter linguas,

Vbi non linguæ sunt bonæ  
 Et utiles, vivifici ibi Dei  
 Exstinguitur Evangelii lux, &  
 prorsus perit.

Si Deiloqui doctrina mortalibus  
 Grata Evangelii existit:  
 Linguas etiam amare convenit  
 conjuncto vinculo;

Involuta enim sane hisce illa  
 Et sicut in pyxide jacet inconspicua  
 Obscure occultata

Pallio silentii.

F

Non

Non enim ad doctrinam sancti verbi  
 Populo hominum diverse loquentium proponendum  
 Teuthonis sola sufficiens est  
 vox terræ.

Neque Christus suum divinum discipulorum  
 Cœtum in mundi errantis fines  
 Misit facundo oraculorum pascere  
 Gentes bacillo.

Priusquam eorum cœlesti ex aula  
 Tetigit linguas flammanti igne,  
 Linguas incendens intellectualis venti  
 donum largiens.

Ita veritatis cum hostibus inculpata  
 Et malis veræ doctrinæ inimicissimis  
 Pugnantes oportet linguarum multarum  
 gnaros esse.

Lingarum absque optimarum  
 Cognitione, dio in verbo nunquam possunt  
 Edoceri externorum lumine destitutæ  
 Gentes populorum.

Sæpe dictio unica bene intelligenti  
 Græcorum juxta vocem & Hebræorum,  
 Et phrasis est scholiorum instar tibi  
 facundorum.

Late in mundo regnantis Regis imperio  
 Et Antichristi animas interficientis majus  
 Lingua calamoque damnum ignem spirans  
 dedit Lutherus.

Quam zelo ignito sui animi  
 Infractisque fundamentis immobilis  
 Fidei & Spiritus sui excellentibus  
 amoribus.

Magna igitur gloria magnusque honor  
 Scholarum est vere,  
 Et locis sanctis tenerisque pueris  
 imperantium.

Pium



Pium ille perficit opus  
 Qui in honorato sedens sedili  
 Insipientium format doctrinis bonis  
 mores puerorum:

Pie etiam sane pater similiter  
 Facit ille, carum quicumque filium  
 Præceptoribus dat alendum  
 literis honestis.

Cujus enim in artibus alitur bonis  
 Filius carus, eum pater dat  
 Dei sancti servum cœtus  
 & Regem.

Et divinum Salvatorem mortalium sapientemque  
 Damnorum, graviumque morborum medicum  
 Quæcunque anima & mortale  
 corpus tenent.

Et sane militem fortem, & Regem  
 Robustum (cum) mundi Rege malo  
 Omnibusque ejus pugnantem exercitibus  
 fortiter & violenter.

Sed talium fortium Ducum  
 Aut militum filii Dei  
 Fabri fideles Scholarum sunt  
 Duces.

Præterea vero perpetua vitam juvantia  
 Scholæ bonæ, concilia sunt  
 Si Præceptor bonus, piusque  
 ipse est

Et ad rectam præcursor viam  
 Pietatis & virtutum optimarum  
 Instituens juventutem, hunc  
 cætum trahit.

Cujus vigilantes custodes sunt  
 Angeli lucidi inconspicuique,  
 Dei aureum leves folium  
 circumeuntes.

Nosne etiam nunc dicimus esse  
 Miseros? inopiam gravem  
 Et ignominiam pati Scholarum  
 Rectores?

Nullam jam nos habemus gloriam,  
 Aut honorem nullum? vere  
 Excellentem & amplissimum, decus  
 multo maximum.

Sunt enim boni Scholarum Reges,  
 Consiliorum valde prudentium & bonorum  
 Auctores, quorum omnis vita mortalium  
 est indiga.

Pastores & utiles & sanctos  
 Alumnorum divinorum, urbiumque omnium  
 Moderatores omni vitæ præbent  
 conducibiles.

Vt & homines ex sanctis Dei  
 Doceantur oraculis, legibusque  
 Populus coërceatur tranquillitateque  
 Sancta.

Hoc donum ex Scholis venit:  
 Præceptorum etiam munus est  
 Dignorum honore & laude  
 semper optima.

Neque ulla major virtutum est  
 Quam aliorum formare filios,  
 Atque varias virtutes adsuafacere  
 pectora illorum.

Et ipsis tantum munus dare,  
 Quod à majoribus sane ipsis  
 Neque similiter consequi possunt,  
 neque suscipere.

Omniaque sua, quæcunque habuit, divus  
 Et Deiloquus vir Dei Lutherus  
 Pædagogus curæque debet  
 Præceptorum

Qui

Qui tantam Deum colentium cœtui  
 Non celeriter potuisset ferre utilitatem  
 Ex tenebris trahens horridis vitam iuvans  
 Verbum Dei.

Nisi fidelis, obediensque  
 In sanctis locis fuisset discipulus,  
 Ex labris suorum præfectorum lac  
 sanctum emulgens.

Quamvis hominum corda omnis  
 Deus fons boni docet,  
 Et suam annunciat manifestamque facit  
 omnibus voluntatem.

Et mortalibus donat vitam iuventia divinorum  
 Suorum verborum mysteria, vivificat  
 Corda Sanctique lumine, Flatus  
 pectora tangit.

Sed tamen hæc facit omnia auxiliis  
 Vtens manifestis clarisque, dum quidem  
 (In) multum errantis difficili vitæ  
 navigamus pelago.

Donec in vita fine carente  
 Omnia, quam non tempus vorans novit perdere  
 Omnia in electis virtute perfecta  
 omnibus adsint.

Scripta enim sanctorum, exigit,  
 Vt discant, mortalesque legant homines,  
 Et immobilibus sub cordibus custodiant  
 valde divina verba.

Non vult (ut) legitima, divinitus data  
 Et necessaria negligant auxilia  
 Præceptorum & Scholarum artiumque  
 Scriptorumque:

Ex quibus linguæ addiscuntur,  
 Quæ majorem Ecclesiæ utilitatem  
 Afferunt, quam quis aut dicere potest,  
 aut intelligere.

Hinc deiloquus divinus Lutherus  
 Præclaris laudibus divinisque  
 Docentes juventutem impubem  
 celebrat verbis.

Qui Præceptores odit vigilantes,  
 Et Scholas, eum furoris hostisque  
 Dæmonis acerbi nigrique  
 stimulus agitat.

Ei excellensque puer Saturni  
 Jupiter succenset, sanctoque Musarum  
 Dulce canentium cœtui merito est  
 hic odiosus.

Præceptores, sanctus, pius,  
 Et a Deo vocatus divinus Lutherus  
 Prope pluris facit, quam animarum sanctarum  
 curatores.

Sane eorum operas laboresque  
 Dicit, majus lucrum & utilitatem  
 Adferre, pluresque ad Deum ducere  
 & servare.

Pluresque prudentes sanctam Dei  
 In vineam operarios præbere,  
 Et populorum & civitatum optimos  
 Duces.

Neque aliam velle viam  
 Vitæ seuare, dicebat, potius si non  
 Divina facundo ovium pasceret  
 ovilia baculo;

Quam impolitorum ignarorumque  
 Juvenum cœtus inscios docere  
 Pietate & doctrina puerorum  
 Pectora efformare.

Hoc Præceptorum sane nunc optimorum  
 Et industriorum solatium maximum  
 Existit, multos labores & molestias  
 qui ferunt,

Et

Et maleficorum pravorumque  
 Impietate & iniquitate  
 Juvenum, contumelia & ingratis animis  
 affliguntur.

Quia ipsorum opera, cura, laborque  
 Non semper omnibus in discipulis  
 Est sine fructu, ventosusque  
 & vanus.

Sed & ovili oviam Dei  
 Vtilis Christum amantium coetui  
 Infelicique hominum vitæ  
 Conducibilis est.

Quæ Deiloquam Scripturam, legesque  
 Et artes & doctrinas, pacem  
 Pulchra omnia & simul Deo debet  
 Et Præceptoribus.

Hac re quidam confisi, viam  
 Præceptores totam vitæ  
 Celeribus honores finentes ventis  
 confecerunt.

Et quidam plurimam vitæ partem  
 Tribuerunt juvenes imperitos docendo,  
 Decenter habenas Scholarum  
 moderantes.

Quemadmodum omnia virtutum optimum  
 Exemplar Trozendorpius ex Deo  
 Alto omninoque vereque factum  
 Vtile germen.

Dux gravium bellorum natura erat  
 Alexander, Scipio urbis;  
 Hic verò Scholarum floridæque  
 Dux juventæ.

Cujus Schola tanquam ligneus Græcorum  
 Equus in omnes religiones doctrinis  
 Celebres, magnosque omnibus artibus  
 Effudit viros.

Mitis

Mitis omnium ferentium perniciosam  
 Inopiam curator, paterque  
 Quibus omnium suarum possessionum & divitiarum  
 tribuit partem.

Celebris revera valde excellensque  
 Erat vir, animumque habens divinum,  
 Quem puellæ Jovis docuerant ipse  
 atque Apollo.

Cujus mentem optimam zelus ignitus  
 Tenebat, Ecclesiæ prodesse  
 Et Scholis usque ad facillimum  
 vitæ finem.

Donec suam animam sanctam in magnos  
 Sinus Filii Dei  
 Dabat, cujus fidus famulus & inculpatus  
 Servus erat.

Ibi nunc mercedem multam immensamque  
 Accipit, gaudium æternum & indefinens  
 Percipiens, auroræque sine vespera  
 lumen adspiciens.

Sic etiam pueros, Juvenes & impuberes  
 Edocentes Scholarumque habentes  
 Habenas vitæ totius viam  
 Perfecerunt.

Reichius, & Dasypodius, Stokelius  
 Rivius, una cum Hertelio vigilantibus  
 Et Dionysius cognomento Mysenus  
 Plateanusque.

Et docent tempore in præsentibus  
 Juvenes, multa utiliter adhuc viri  
 In sermonibus enutriti, ingeniosi  
 piique.

Et Diis quidem volentibus impuberem  
 Erudiunt juventutem, donec  
 Ex manibus fatum ipsis eripuerit impudentis  
 habenas mortis.

Geor.

Georgius Fabricius suis  
 Cum fratribus longe excellentibus  
 Immobili vinculo amoris nos  
 amantibus.

Et Jobus Magdeburgus, Siberus  
 Et Dabercusius, Lindemannus  
 Loffiusque bonus piusque  
 atque senex.

Multa pueris senibusque viris  
 Vtilia dicens, Emmericusque inculpatus  
 Cum Pochenio & Soraviensi  
 Basilio.

Et Wincklerus canitie confidens  
 Et multilinguis celebris Tabornus  
 Astrorum sciens crebras vias  
 in caelo errantium.

Qui Trozendorpii prudens bonusque  
 Erat collega, & a Schola  
 Decenter acceptas habenas nunc  
 moderatur.

Pietatis & virtutis studiosus,  
 Et scientiis doctrinisque optimis,  
 Excellens castis boni munitus  
 moribus pectoris.

Et Justus Heniochus valde bonus  
 Et carus Musis, & Helmericus  
 Pius fideles valde collegæ  
 Taborni.

Horum etiam carum animo meo  
 Crusium adjicio numero, qui diu  
 Jam suum studium discendi cupidus  
 addidit juvenibus,

Et juvenum nunc multa discentium coetum  
 Pulchras artes & proprietates vocum  
 Edocet, delectantibus animos pascens  
 floribus librorum.

G

Hunc

Hunc vero honorat & amat & audit

Lydius animo gratus meo,

Quem Scholis utilem spero

Virum futurum.

Ingeniosus enim & cupidus discendi existit

Et scientia curaque multa

Excellens & animos mulcente munitus

Facundia,

Præclarus pieridum amator

Et Scholis cupiens juvenibusque

Prodesse & mollibus ornatus est

moribus quod ad animum.

Huic Dii dent omnia pulchra olympi

Splendidi domum inhabitantes nivofam

Quæcunque mihi optare, ut divinitus dentur

Ipse soleo,

Et Gerdnero Juveni optimo

Quos assiduo indissolubilis vinculo

Et propenso corde, amoris

Valde diligo.

Nunc vero mihi omnes bonos & vigilantes

Præceptores non mens est enumerare,

Neque otium, neque hoc facere volenti

Facile est:

Sed solum adhortari omnes

Cupio animo, quicumque juventutis

Sunt Præceptores, difficiles Scholarum

habenas tenentes,

Ne suam spartam relinquunt, & suæ

Viam fugiant vitæ: sed

Ornent eam viribusque omnibus

eam administrant.

Non inhonorata vita, laborque

Non gravis inopia & molestiæ

Non discipulorum crimen ingratiæ mentis eorum

animum moveat.

Sed



Sed maneant diligenterque opus  
 Utile usque ad suæ vitæ finem  
 Sicut Trozendorpius & alii  
 perficiant.

Oportet vero Præceptores bonos ante omnia  
 Pietatem divinam docere,  
 Et quæcunque ei, qui servari cupit, necessaria  
 sunt scitu.

Quæ sane divinis haurire  
 Ex libris omnino est necesse,  
 Quos quidem ignorare malitiæ est  
 fons universæ.

Hinc etiam de sanctis Dei Scripturis solum  
 Filii dicta est vox:  
 Scripta scrutamini divinorum dia  
 mysteria sermonum.

Non libros gentium atheos veterum  
 Philosophorum cognoscere jubet, discereque  
 Quos manus Aristotelis scripsere  
 aut Platonis.

Ex quibus opiniones vanas malasque  
 Spiritus divini gratiæque expertes  
 Et sententias vere profanas  
 licet haurire.

Nullum in libris continent suis  
 Aut sapiens præceptum aut bonum  
 Veterum Scriptorum clarorumque  
 literæ Poëtarum.

Quod non multo melius divinæ  
 Scripturæ & rectius dicant  
 Gaudium majus ferentes aut  
 majorem fructum.

Spiritus enim divinus oraculis suis  
 Solus, quorum ipse est Præceptor &  
 Scriptor, robur potentiamque divinam  
 efficere solet.

Et mentes mortalium caliginosas intelligibili  
 Implet agitatione lumineque flatus  
 Non quali Mythologi Poëtæ  
 Philosophique.

Sed firmam in mentibus fidem  
 Et bonum reliquarum virtutum agmen  
 Divino in cordibus cæcis  
 igni accendit.

Divinæ plus doctrinæ vitam juvantis  
 Scriptura mortalibus hominibus præbet  
 Quam per vitam possumus omnem  
 illa uti.

Plus invenies in illa sententiarum  
 Vtilium & consiliorum optimorum  
 In unius chartæ consideratione, lineaque  
 aut voce.

Quam in omni vana jactante Ethnicorum  
 Virorum sapientia, quæ in  
 Arenosis plerumque sermonibus argutisque  
 tricis jacet.

Sancta enim & impolluta verborum divinorum  
 Vasa sunt splendentia, veneranda,  
 Illustrantia hominum oculos  
 Sanctis ignibus

Scriptura castis in mentibus  
 Piorum gaudium lætitiâque movet,  
 Et Attico melle dulcissimo multo  
 (dulcius (quid) est.)

Ignem spirans omnibus obedientibus validus  
 Clypeus infractus, gladioque omni  
 Acuto sane acutior, efficax  
 atque perfecta.

In Scriptura dictio pæne nulla est,  
 In qua non montes magni pendent  
 Spiritus, cognitionis, doctrinæ, vitæque  
 gaudiorumque

Sed

Sed æqualem honorem caliginoso  
 In mundo divinæ Scripturæ consequuntur  
 Quam Verbum filius unigenitus Patris  
 habuit Dei.

Sicut enim in mundo imprudenti ille  
 Erat abjectus valde & honore carens  
 Non homo, vermis sed malus putatus est  
 omnibus mortalibus.

Sic etiam semperviventis vitæ sanctum  
 Verbum Dei rejiculum quid & inutile  
 Non liber apud sapientes mundi  
 habitus est.

Et sane aliis libris curæ  
 Et temporis plus tribuitur laborisque  
 Quam Divinis sacrisque vitam juvantium  
 literis librorum.

Sed væ Præceptoribus, qui  
 Alia magis curant, quam  
 Pueros impios ad rectam pietatis  
 viam trahere.

Sine qua alia omnia quamvis splendida  
 Aut sapientia aut pulchra mortalium  
 In Dei oculis odium, damnum abominatioque  
 apparent.

Altissimi enim sanctæ Dei menti  
 Hominum, quod ex firmæ  
 Non fluit fidei fonte, certe nullum  
 placet opus.

Norunt pueri in Scholis  
 Dicere: lascivus Jupiter, impurus  
 Erat, zonamque solvit innuptis  
 puellis

Quis vero David aut Daniel fuerit  
 Et Abraham hospitalis, magnusque  
 Paulus, nunquam interrogati norunt  
 Proloqui.

Neque quantam in altipotentem Regem  
Fidem habuerint, huic soli fidentes  
Neque quanta mundi adversus gravem principem  
tulerint certamina.

Hæc vero nosse necesse erat ante omnia  
Quam utilia & fructifera potius  
Quam de Jove incontinentes profanorum  
sermones amorum.

Qui malam lasciviam & opera  
Docent perniciofa Veneris  
Et corrumpunt imperita impuberum  
pectora puerorum.

Et plus detrimenti vitæ humanæ  
Perversitas hæc fert, quam quis dicere  
Aut credere potest sua  
in mente.

Pii vero Rectores Scholarum nihil  
Eorum, quæ docent, præmittunt, pueros  
Ad pietatis viam ante omnia  
verbis ducunt.

Et labores omnes, operarumque pondus  
Gravium animis sustinent non molestis  
Propter Dei gloriam humanamque  
solum vitam.

Et suos delectant animos immobili  
Spe, quod in astriferis plurimas  
Et indefinenter retineant finibus  
& incorruptibiles opes.

Vbi nostra est vera  
Aula, domus & conversatio parata  
Immortale & per se fundamentum habens  
nobis est palatium.

In novo solo splendidi poli  
Illic & nova post fatum terra  
Cum Deo prorsus beatos & sine vespera  
vivemus dies.

Et

Et immortalem & incomprehensibilem  
Substantiam formamque magni Dei claram  
Oculis adspiciemus, qualis est, e regione  
oppositis.

Quam innumerabiles valde capacibus  
Sinibus coeli non comprehendunt  
Participes naturæ divinæ  
facti.

Dei solius simplicissimique  
Susceptores omnes inter Dei electos  
Semper existentis, conjuncti facti  
cum Deo ipso.

Periti omnium, beati & habentes  
Omnia, quæ Deus super lucem existens tenet  
Cum Deo æqualem potentiam roburque  
æquale habentes.

Acquirentes, quæ nunquam mortalis  
Vidit oculus, nec audivit auris  
Neque antris intelligibilium profundis  
incidit animorum.

Et tandem, ut dicam confidentius  
Utens verbis, totius immarcescibili  
Divinitatis induti veste  
in illo omnia (erimus.)

Hoc sane decus est maximum,  
Hæc etiam gloria excellens,  
Quam nos habemus Scholarum  
Rectores.

Et perfectio est vera  
Hæc ad quam celerrimis pedibus  
Festinamus, parvam vitæ delectationem  
hujus inquentes.

Refrigerium magnum gaudiumque  
Excellens, versantes in Scholis  
Et circa pueros impuberes acquirimus  
ruborem habentes.

Cum

Et

Cum perversis hominibus exilium afferentis  
 Dæmonis pugnamus adversantes  
 Et invidiosis male moratæ  
 moribus juventæ.

GLORIA hæc lætitiæque omnes  
 Gnaros Christi passionum exhilaravit  
 Et revocillavit tormenta patientes  
 molesta.

Hujus cupidus honoris divinus  
 Paulus non solum cupit ligari,  
 Sed etiam pro Christo Solis  
 lumen relinquere

Quare ignem spirans magnanimusque  
 Linguâ facem præferens & prudens Lutherus,  
 Non spirituum caliginosorum multifarium  
 metuit imbrem.

Et in Diabolorum pessimorum innumeros  
 Irruere desiderabat exercitus  
 Et pro Christo mala tristia &  
 damna pati.

Propterque hanc gloriam multum stridentis  
 Mundi, instabile flumen & debilem  
 Omnemque abjiciamus corruptibilem præsentis  
 gloriam terræ.

Quæcunque & pulchra amabiliaque hominum  
 Imbecillis mortalium continet vita,  
 In terra prona pro illâ  
 omnia projiciamus.

Nos omne laborum genus  
 Et curæ pauperiesque potius,  
 Et contentus afflicet tandemque  
 fatum nigrum.

Tantum vigiles nostri simus  
 Et celeres exercitus milites  
 Fideles servi Domini sanctique  
 in alto sedentis.

Et

Et pulchre alii datum talentum  
 Exponant & utiliter drachmamque  
 Alii ad gloriam DEI atque utilitatem  
 hujus vitæ.

Propter hoc enim ex ludo factorum genus  
 Hominum conditum est, vivitque vitam  
 Ut indefinenter diligenterque solum  
 hoc perficiat.

Et robore faciat potentiaque omni  
 Sicut ei ineffabile valde & immutabile  
 DEI consilium destinavit Olympi  
 domus habentis.

Sed hoc nos (ut) efficere possimus,  
 Tuum robur tale tu DEUS largire.  
 Ex te pulchrum enim omne bonum  
 solo venit.

Ut tuam gloriam vita in præsentî  
 Et infinita aliquando & indefinenti  
 Sanctorum celebret cantibus irrequietis  
 maximus coetus.

Bene vestram pulchreque vitæ viam  
 Secate, sententiasque Philosophorum  
 Damus acceptas facite auribus  
 vestris.

Aut multo meliores divinis  
 Ex Scripturis ipsis proponite, in quibus  
 Erat necesse omnibus vitæ viam  
 conficere.

Si enim in sanctis Scripturis juvenus  
 Majori exerceretur cura, plus quidem  
 Spiritus, fidei virtutumque omnium  
 in vita esset.

Divinas enim a Deo pronunciati sermonis  
 Non legere Scripturas, quæ sunt  
 Medicamenta animarum, sane noxia est malorum  
 radix omnium.

H

PRO.

58.

PROGRAMMA

QVO

AD AUDIENDAM

ORATIONEM VALEDICTORIAM

DOMINOS

INSPECTORES SCHOLÆ SALFELDENSIS

AC CETEROS LITERATOS, REIQVE LITERARIÆ

FAVTORES,

*HVMANITER INVITAT*

CASPAR SAGITTARIVS

LVNEBURGENSIS.

\* \* \*



uam mire res humanas divina gubernet providentia, unicuique patebit luculenter, qui in vitæ suæ rationem, cursumque omnem penitus inspiciet. Equidem, si attente considero, quid ab isto, quo lucem hanc adspexi, die, ad præsens usque tempus mecum actum sit, quamque variis fortunæ casibus jactatus, salvus tamen semper & incolumis evaserim; nequidquam sine divino nutu mihi contigisse certus sum, ac summam Dei O. M. in me benignitatem nullo non tempore deprædicare necessum habeo. Scio rem periculosæ esse aleæ de seipso scribere, & variis censuris plerumque tangi illud institutum: attamen, quia habeo in animo mutare vitæ



vitæ genus, & misso publico, quo hæctenus sum  
 functus, munere, privatam vivendi rationem de-  
 nuo inire; gravibus adductus caussis, brevem vi-  
 tæ meæ historiolum exponam hoc Programma-  
 te; simulque omnes & singulos lectores obnixè  
 rogabo, velint meæ in hac re libertati dare veniã.  
 Nonum Kl. Octobris, anni æræ Dionysiacæ mil-  
 lesimi, sexcentissimi, tertii & quadragesimi, diem  
 natalem habui, in nobilissima ac nitidissima infe-  
 rioris Saxoniae civitate Luneburgo: quo optimus  
 Pater meus, M. Caspar Sagittarius, tum Rector  
 Scholæ Senatoriæ, relicta Brunsvico urbe, ubi per  
 duodecim annos Martinianum Lyceum rexit,  
 ante triennium secesserat. Mox salutifera bap-  
 tismatis unda a peccatis lotus, cum ipso, quo me  
 dulcissima mater, Catharina Jordania, nutriebat  
 lacte, suam, qua conspicua erat, pietatem, atque  
 probitatem instillare mihi cupiebat. Nondum ta-  
 men annum ætatis tertium absolveram, quando  
 me tantopere infestare cœperunt varioli, ut Pa-  
 rentes & cognati spem omnem vitæ meæ peni-  
 tus abjicerent. Verum præter omnem omnium  
 exspectationem divina me servavit bonitas: sed,  
 ut a teneris ungviculis calamitatibus assvesce-  
 rem, acerbiori quoque, quod paulo post insequeretur,  
 fato me reservavit. Nam anno hujus seculi  
 septimo & quadragesimo, VII. Idus Novembr.

H 2

quin-



quintum mihi annum agenti, mater optima & præstantissima præmatura morte eripitur; triste sui desiderium marito, liberis, bonisque omnibus relinquens. Ipse inter quatuor liberos natus eram minimus, eoque magis indigebam provida matris in me educando circumspeditione: a qua cum tempore maxime incommodo destituebar, facile quivis cogitare poterit, quam misera puerilium annorum fuerit conditio. Quæ erat tamen dulcissimi Patris incredibilis in pignora sua pietas, non vercam nobis superinducere noluit, sed in perpetua viduitate manens, molestum educationis onus ipse solus subiit, & necquidquam eorum omisit, quæ ad liberos in pietate, probitate, ac bonis artibus educandos ei visa facere. Et mihi quidem partim ipse inculcabat prima pietatis atque literarum fundamenta; partim per fideles Præceptores, qua publicos, qua privatos, idem fieri curabat. Magnam autem spem in Thoma, gnato primogenito collocarat Pater, fore scilicet existimans, ut is aliquando mihi & sororibus non parvo adjumento esset. Verum decollabat ista spes: quando quidem is in inclyta Jenensi Academia, in ædibus Frischmuthianis, anno supra millesimum sexcentesium, septimo & quinquagesimo, beatum vivendi finem faciebat. Ex eo tempore tam graves quoque ac tam periculosi identidem me

occuparunt morbi, ut nemo non de vita mea actum esse crederet. Et licet ipse præoptarem molestis miseræ hujus vitæ vinculis exsolvi, & ad CHRISTUM Salvatorem meum quamprimum evolare: aliter tamen placuit divino Numini, quod pristinæ me restitutum sanitati anno ætatis quintodecimo Lubecam migrare voluit. Hic Clarissimorum virorum, Meieri, Bangerti, Poltzii, solerti usus institutione, quanta potui cum diligentia, invigilavi studiis, privata insuper laudati Bangerti disciplina usus. Quænam præterea in Lubecensi Athenæo rerum mearum fuerit fortuna, quos Mæcenates & Patronos invenerim, & quomodo præsentis vitæ periculo, cum e navicula in Travam fluvium inciderem, miro DEI beneficio fuerim ereptus, dicere superse-  
deo. Mense Februario anni primi & sexagesimi, Serenissimi Holsatorum Ducis FRIDERICI exuvix regali cum pompa avito monumento inferbantur. Hæc solemnia spectatum cum Slesvicum abiissem, Nobilissimo Viro, Adamo Oleario sum commendatus: qui, quoniam per aliquot hebdomadas inclyta Serenissimi Ducis Holsatiæ, quæ est Gottorpii, Bibliotheca mihi permit-  
sit uti, aliisque me ornavit benefactis; non possum non cum gratæ mentis significatione incredibilem summi viri humanitatem hoc loco re-

petere. Eodem anno voluntate optimi Patris contendi Altenburgum, in visurus Maxime Reverendum Patruelem meum, Dominum Johannem Christfried Sagittarium, supremum sacrorum in Altenburgensi Ducatu Antistitem: a quo tum quantis fuerim maectatus beneficiis libens meritoque efferrem; nisi satius esse crederem illorum magnitudinem devoto silentio venerari. Hic autem cum mihi esset auctor, ut quam primum me in Academias conferrem, ac certam quoque studiorum methodum praescriberet, auctoritatem Viri Maximi secutus, consentiente Patre, Lubecensi Scholae sequenti anno valedixi, habita prius oratione in laudem urbis florentissimae, in qua haectenus per triennium non sine fructu vixeram. Deinde cum a Serenissimo Brunsvicensium & Luneburgensium Duce, CHRISTIANO LUDOVICO, lauto beaver stipendio, Helmstadium me contuli, Excellentissimi Viri, D. Balthasaris Cellarii convictu usus: cujus, ut & reliquorum magni nominis Professorum, & in primis Virorum maximorum Hermannii Conringii, & Christophori Schraderi, summam humanitatem, ac prolixum in me favorem cumulatissime sum expertus. Postquam vero aliquot annos Helmstadii vixeram, commodam occasionem nactus in Daniam profectus sum: in

in cuius principē urbe Hafnia, Henricum Ernstium, & Thomam Bartholinum, Viros omni laude maiores, Mæcenates & Patronos inveni. Deinde cum me Amplissimus Patriæ Senatus novo ornaret stipendio, multum etiam suo me iuvaret præsidio supremus sacrorum Luneburgensium Ephorus, D. Petrus Rehebinderus, & præterea singularem Lafferdiolorum, Witzendorfiolorum, Dasseliorum, liberalitatem experirer, reversus sum in Academiam Juliam, & præside Hermanno Conringio aliquoties publice disputavi; animusque erat plures disputationes in Justinum Historicum conscribere, nisi optimi Patris mei ex hac vita abitus hæc coepta inhibuisset. Vivo tamen adhuc Parente, Lipsiensem, Wittebergensem, Jenensem, & Altorffinam Academias vidi, & in singulis, licet tempus per breve fuerim commoratus; tantam tamen sine ullo meo merito magnorum Virorum benevolentiam, humanitatem, ac liberalitatem sum expertus, ut, nisi grata, & semper-memori mente id repeterem, mortalium quorumvis essem ingratus. Scio equidem, me per imbecillitatem meam nemini illorum re ipsa posse compensare, quæ in me contulerunt benefacta varia: at neque id ignoro, quæ summa est eorum bonitas & æquanimitas, qualem cunque meam  
volun-

voluntatem aliquo loco habituros esse. Anno abhinc quarto VI. Kl. April. suavissimus Pater meus, Pastor ad D. Johannis templum, annum agens septuagesimum placida morte Luneburgi discessit. Huic cum iusta fecissem, meaque, & unicae sororis (nam altera ante paucos annos diem suum obierat) negocia composuissem, de novo ad Academias abire mihi proposueram. At immissa quartana febris, quae more suo longas necētebat mores, tamdiu me in Patria retinuit DEUS, donec sequenti anno citra omnem cogitationem meam ad regendam Salfeldensem Scholam vocarer. Et quamvis non deessent, qui serio disuaderent longius à patria discedere; nonnulli etiam, causis nescio quibus inducti, vix e re mea fore putarent, eo loci Spartam Scholasticam adire; malui tamen divinam sequi vocationē, quam in ea anxie inquirere, quae me a coeptis potuissent revocare. Huic muneri ad praesens usque tempus, quanta potui cum fide & industria (quod absque jactantia dixerim) praefui; sedulamque dedi operam, ut crediti fidei meae discipuli in pietate, doctrinis liberalibus, ac bonis moribus incrementa caperent. Nam ceteras, quas pro salute Scholae devoravi curas varias, fatius est sicco pede praeterire, quam iis recensendis nauseam lectoribus creare. Ceterum quoniam  
per

per laborum in pulverulenta officina plusculis  
 horis continuatorum ingentem multitudinem  
 sensim labefactari vires corporis, ac florem ju-  
 ventutis paulatim exhauriri video; tum plane  
 hoc in loco careo amœnioribus studiorum exer-  
 citiis, quibus in Academiis assuevi; ac aliæ præ-  
 terea gravissimæ me urgent causæ: præviis præ-  
 cibus ardentibus, usus etiam prudenti magno-  
 rum virorum consilio, nec destitutus aliorum  
 exemplis, impetrata honorifica a sacro Synedrio  
 Altenburgensi dimissione, decrevi mutare vitæ  
 genus, & postliminio ad Academica Tempe re-  
 verti, eaq; studia in divini nominis gloriã, & pro-  
 ximi emolumentum porro excolere, quorum  
 dulcedine diutius carui. Ne tamen per silentium  
 tanquam ingratus hospes discedam, prius Sere-  
 nissimis ac Potentissimis Patriæ Patribus Tutori-  
 bus, Serenissimo Juventutis Principi, Magnificis  
 in Civili & Sacro Consilio Senatoribus Consilia-  
 riis, Reverendo hujus civitatis ministerio, Am-  
 plissimis Præfecturæ Administris, Prudentissimo  
 Salfeldensi Senatui, Conjunctissimis Collegis;  
 Mæcenatibus, Patronis, Fautoribus, Amicis, Civi-  
 bus, Discipulis, devotissimas publica oratione a-  
 gam gratias; eorundemque tutelæ, patrocinio,  
 favori, benivolentiæ, amicitia, me meaque o-  
 mnia ex animi sententia commendans, Scholæ

I

Sal-

Salfeldensi valedicam. Ad hanc Orationem audiendam ut Domini Inspectores, & ceteri literati, reiq; literariæ fautores die XIII. Jan. hora matutina nona frequentes adventare, suumque erga me amorem ac benevolentiam hoc luculento testimonio declarare velint, tam rogo, quam quod maxime: facturus id majorem in modum, nisi jam tum de proluxa illorum in me voluntate certus essem. Valetē Viri Optimi, & quod facitis, me amate, meisque studiis favete. Scribebam Salfeldi III. Nonar. Decembr. Anno  
 Ær. Dion. clō Ioc LXX.



ORA-



## ORATIO VALEDICTORIA.

**S**raftini, DEO OPT. MAX. annuente, ex Salfeldensi civitate ad florentissimam Salanam Academiam decrevi commigrare. Hic est ille dies, quem toties desideravi; quem tot anxiiis expetii votis; cujus expectatio semper mihi fuit jucundissima. Et vero non sine singulari factum esse reor omine, quod, cum diem Veneris, qui festum Epiphaniæ Domini exciperet, abitioni destinassem, eundem, cum postea Calendarium inspicerem, S. Hilario consecratum esse reperirem. Nimirum animo tam hilari, tanta cum hilaritate, tam serena atque exporrecta fronte ultimum vale dicam Salfeldio, ac facere aliquis posset, qui ex squalido & tenebrioso carcere in lucem ac plenam libertatem vindicaretur. Miramini fortassis, Auditores Opt. qui fiat, quod, cum alii tanta cum vehementia, tanto cum ardore, ad publica adspirent munera; equidem beatum me existimem, quod a functione mea solutus, vitam denuo vivere possim Academicam, vitam a statis laboribus publicis remotam. At enim causas hujus mei gaudii, quæ ex illis oriuntur rationibus, ob quas a Sacro Altenburgensi Consilio honorificam dimissionem petii, partim explicavi in Programmate, partim uni atque alteri Vestrum perspectas esse duco: neque

commodum esse censeo, easdem uberius hic ex-  
 planare. Quandoquidem autem splendidum ve-  
 strum confessum cogito, Auditores observandi,  
 valde profecto dubito, quin aliquid in medium  
 afferre valeam, quod dignum sit limatis vestris  
 auribus. Pars Vestrum, mei honoris ergo ex in-  
 clyta Academia Jenensi hac incommoda anni  
 tempestate advenistis. In tam illustri Musarum  
 sede tot cœlestes animas, veras Svadæ medullas  
 quotidie auditis, earundemque auream dicendi  
 ubertatem atque suavitatem stupetis. Cum his  
 quia nec ætate, nec ingenio, nec iudicio, neque  
 rerum usu sum comparandus; facile existimare  
 potestis, quam nihil splendidum, nihil magnifi-  
 cum, eximium nihil Vobis queam promittere.  
 Sunt & alii ex vicinia sacri & civilis ordinis ho-  
 norati Viri, qui itidē gratiosa sua præsentia hunc  
 actum illustrare voluerunt: quibus quo pacto  
 satisfaciam perinde non reperio. Quid dicam de  
 illis, qui ex hac civitate suum erga me amorem  
 & benevolentiam in præsentis comprobare vo-  
 luerunt? Nam quomodo & horum, si quam de  
 me conceperunt, expectationi respondeam,  
 nequaquam invenio. Non is ego sum, o opti-  
 mi! a quo limatum aliquid & perpolitum profi-  
 cisci possit; nec, si quæ forsan esset dicendi fa-  
 cultas, tantum a reliquis curis vacationis habui,  
 ut

ut justæ orationi conscribendæ impendere va-  
luissem. Quapropter nihil aliud hoc sermone  
agam, quam DEO, Mæcenatibus, Fautoribus  
& Amicis meis pro innumeris benefactis devotis-  
simas agere & habere gratias. Hanc piam gratia-  
rum actionem ut attente & benivole audiatis, Au-  
ditores omnium ordinum honoratissimi, ea, qua  
possum, ea, qua debeo, observantia majorem  
in modum peto atque contendo.

Quod si plurimi gentilium censuerunt, a Diis  
omnium rerum agenda ac capienda esse primor-  
dia; quidni nos Christiani, vera veri DEI cog-  
nitione imbuti, ita statuamus? sic ut nullam actio-  
nem, nullam auspiciemur scriptionem, qua in  
non primas TRINVNO DEO tribuamus. Jure  
igitur merito mearum gratiarum actionem a Te,  
O DEVS! o benignissime DEUS! ordior, flexis  
genubus, plexis manibus, supplici voce precatus;  
velis hoc quicquid est humillimæ voluntatis per  
JESVM CHRISTVM suscipere, nec mei indi-  
gnitatem intueri, sed illius meritum, in suo qui me  
orare jus sit nomine, unice respicere.

Tu me, o omnipotens Creator, in materno  
utero formasti; tu me osibus, venis, arteriis, ner-  
vis, carne, cute, vestivisti; tu ex alvo matris tua  
me virtute extraxisti; tua manus in sinu genitri-  
cis, inque incunabulis me fovit: tibi alimenta,

quibus a teneris sum enutritus; tibi vestimenta, quibus coopertus fui, debeo. Nisi igitur pro tot tantisque divinis beneficiis immortales haberem atque agerem gratias, indignus essem ista, qua nunc fruor luce, indignus victu, indignus cultu corporis. Maxima profecto sunt hæc benefacta, quæ paucis jam recensui: at certe longe sunt majora, quæ, o inisericors DEVS! per unigenitum tuum Filium, Redemptorem generis humani optimum, & Salvatorem maximum, in miserum me homuncionem voluisti redundare. Is mei ergo ex coelis in intactæ virginis Mariæ alvum, ex Mariæ alvo in terram, ex terra in flagitiosæ crucis stipitem, ex cruce in sepulcrum, ex sepulcro in coelum est protractus. Imo vero, o mi JESV! pro me tu nasci voluisti; pro me tot casus varios, tot varia rerum discrimina subiisti; pro me egisti maledictum cruciarium; pro me purpureum tuum effudisti sanguinem; pro me es mortuus; pro me sepultus; pro me a morte surrexisti; pro me in coelos ascendisti. O mi JESV! o mi dulcissime JESV! quantus tuus in me amor est! Animus stupet, membra tremunt, lingua filet, hæc dum recordor merita, o ineffabilia merita! Quare ignosce, ignosce, o suavissime JESV! quod dignas Tibi agere non possim his in terris gratias. Fiet, fiet id in coelis; atq; o utinam propediẽ fieret!

At,

At, quod Te agnoscam, Domine JESV CHRI-  
 STE, quod Te pro Salvatore meo habeam, non  
 est mearum virium; sed solius Sancti, qui Tecum  
 & cum Patre tuo in æternum indivisa potestate  
 regnat, SPIRITVS est beneficium. Hic per  
 Baptismum a peccatis me lavari, hic me digne  
 fecit frui salvifico CHRISTI mei corpore & san-  
 guine; hic in corde meo excitavit, sufflamina-  
 vit, & adhuc conservat sancta firmiter credendi  
 & pie vivendi desideria; hic me certiozem facit  
 remissionis peccatorum; huic Sacro Sancto Fla-  
 mini adscribo, quod de æterna salute mea, per  
 JESVM mihi parta, certus sum. Agerem tibi  
 gratias, o sancte SPIRITVS! si liceret: nunc cum  
 id per infirmitatem meam non liceat, tu saltim  
 tantum facultatis tribue, quo usque quaque pe-  
 ctori meo inhæreat gratisima sanctæ tuæ gra-  
 tiæ memoria: donec in cœlesti divinarum lau-  
 dum theatro meum os in infinita tui & sanctis-  
 simæ Trinitatis elogia plenissime resolveris. Sunt  
 hæc, quæ hæctenus recensui, divina in me meri-  
 ta partim cum unoquoque mortalium, partim  
 cum fidelibus Christianis mihi communia: non  
 desunt tamen singularia quædam divinæ provi-  
 dentia in vita mea testimonia. ex quibus pauca  
 quædã si perstrinxero (omnia sigillatim enume-  
 rare per temporis brevitatem, causasque alias non  
 li-

licet) nec DEO, nec Vobis, Auditores, nec mea denique persona indignum esse censeo. Nimirum Deo meo unice acceptum fero, quod ex variis, & periculosis morbis salvus semper & incolumis evasi, & ad hujus usque temporis articulum vegeto corpore, præsentis animo, vivo, vigeo, valeo. Nondum annum ætatis tertium evaseram, quando a variolis tantopere infestarer, ut Parentes non de visu tantum, sed & de ipsa vita actum esse crederent. Nondum puer decennis eram, cum me phthisis, quem hæreditarium e matre morbum corpusculo adhærere Medici putabant, gravissime exerceret. Tertium decimum natus eram annum, quando febrim acutam exciperet alia ægritudo perquam difficilis; qua etiam per divinam bonitatem plane solutus pristinae restituebar sanitati. Helmstadii quoque semel atque iterum decubui, & aliquando non sine vitæ periculo. Paulo ante huc quam adventarem, quartana febris per dimidium annum ita me afflixit, ut, quando primum in hanc civitatem venirem, larvæ essem similis, vixque hærerem osibus. Sed volente DEO, per mutationem aëris, quam Medicorum filii suadebant, lentissimum hunc morbum deposui. Atque hic quoque non semel ægrotavi graviter, adeo ut nihil magis fuerit in votis, quam ex misero vi-

tæ

tæ hujus ergastulo ad cœlestem libertatem evo-  
 lare. Tibi tamen o clementissime DEVS! ex animo  
 grates dico, quod, quia nondum tibi placuit qui  
 me ex statione hujus vitæ evocare, ad pristi-  
 nam semper valetudinem reduxeris, nec, quod  
 fieri non raro solet, luculenta morborum semi-  
 na fuerint relicta in hoc corpusculo. Tu, si id e-  
 re mea fore putas, o æternæ DEVS! porro hanc  
 ferva corporis ac mentis statam sanitatem; sin  
 vero aliter comparatum esse velis, patientem in  
 morbis largire animum, & in te tuaque vo-  
 luntate sine murmure acquiescentem. Quam  
 lamentabilis puerilium meorum annorum fue-  
 rit fortuna, quando mihi vix quadrienni mater  
 optima, foemina præstantissima, eriperetur, facile  
 ex eo judicare poteritis, Auditores, quod, cum  
 frater & sorores omnia lacrumis, gemitibus, &  
 ejulatibus complerent, ego mihi in oblongo  
 pallio, & pileo fascia nigra circumvoluto nimi-  
 um quantum placerem, & quasi exultabundus  
 feretrum matris sequerer. Ceterum dum ego  
 pro mea educatione non eram sollicitus, neque  
 etiam per teneros annos valebam, curas paternas  
 & maternas egit is, qui se Patrem orphanorum  
 est pollicitus; non tantum optimo Patri robur  
 largiendo, ut in ista, quam perpetuo vixit, vidui-  
 tate sollicite in me educando versaretur; sed et-  
 iam

K

iam

iam servam nostram excitando, ut, mei in primis curam tanta cum cura ageret, ut, etsi jam pridem vita functa sit, non possim tamen non sine gratæ & memoris mentis significatione hic repetere. Neque singulari absq; causa illud facio: ut scilicet discipulis hæctenus meis, præsertim pauperibus inculcem, ne statim animum despondeant, si vel parentibus, vel cognatis aut Patronis tempore incommodo orbentur. DEVS, DEVS est, qui alios parentes, qui alios Mæcenates & Patronos iis vult & potest ostendere, modo in ipsius timore, vitam, quantum per hæc humana licet, inculpatam degant. Possem plura divinæ singularis erga me providentiæ afferre exempla; inter quæ & illa, quod in itineribus ex curru aliquoties deturbatus, sine discrimine evaserim; quod Lubecæ ex Trava flumine, cum jam multa aqua fauces penetraret, extractus fuerim; quod iterum Lubecæ, cum cereus strata, in quibus somnum caperem, incenderet; quod Helmstadii, cum mensa, in quibus libri selectissimi, & pleraque MS. essent reposita, conflagrare inciperet, & ego & pars librorum maxima manserit intacta; quod aliis periculis sine damno fuerim defunctus: nisi & tempori, & auribus Vestris, o optimi! parcendum esset. Præcipue autem DEO OPTIMO & MAXIMO immortales ago gratias,



tias, quod per triennium illud, quo hujus Scholæ Rector tui, inenarrabili sua gratia, contra varias & longe acerbissimas calamitates me armare, patientem animum indulgere, solatio me instruere, amicos sinceros sufficere, ac tandem etiam per hanc honorificam missionem tranquillitati publicæ, existimationi meæ, & toti, nisi me fallit animus, salutis meæ consulere non dedignatus fuerit. Quamdiu, o summe DEUS! vita mihi suppeditaverit, hanc immensam tuam bonitatem agnoscam, laudabo, prædicabo, celebrabo.

Venio ad terrestres Deos, unici DEI in his terris locum tenentes. Quamquam vero jam ex hoc orbe, & tuo Principatu abiisti, Serenissime, nunc beatissimæ memoriæ Princeps, FRIDERICE WILHELME, Dux Saxoniae, Juliaci, Cliviae & Montaniae; tamen ut post beatum etiam excessum tuum gratissimam erga sanctos Manes tuos memoriam tester, ingentia in meam parvitatem collata benefacta faciunt. Sub tuo imperio ad regendos hujus Scholæ fasces Luneburgo vocatus sum: Tu Ducale tuum præsidium & patrocinium luculenter ostendisti meis studiis: tu qualiacunque mea in hanc Scholam merita clementissimo vultu respexisti, meque etiam nequicquam tale meritum regali dono maectasti.

K 2

Tu

Tu Serenissime immortalis memoria dignissime Princeps, si diuturniorem Tibi vitam, quod omnes, omnes optabamus, DEVS indulgisset, plura in Scholam pro tuo, quo Scholas complecteris, favore, contulisses beneficia. Quapropter etiam tuum abitum tam graviter luxi, quam quod gravissime: id quod aliquando libelli declarabunt, quos sanctis tuis Manibus consecravi. Tantum tamen abest, ut eo me putem tuorum meritorum magnitudinē digne fuisse assecutum, ut e contrario ne minimam humillimi affectus mei indicinam esse necessum habeam fateri. Tibi igitur, o Serenissima Anima! in coelis largiter rependat DEVS, sicut jam rependit, quæ in Salfeldium, in hanc Scholam, in mea studia largiter effudisti, ac coelestem suam benedictionem in Serenissimam prolem tuam uberrime diffundat.

Atque id jam sic volente & disponente DEO fieri cœpit per vos, o Potentissimi Dii Tutelares Saxonici! per Te nimirum JOANNES GEORGI II. Serenissime sacri Romani Imperii Elector Archi-Marschalle, Burggraviæ Magdeburgensis, & per Te MAURITI, Serenissime Reverendissimeque Numburgensis Episcopatus Administrator Postulate, Baliviæ Thuringiæ Locum tenens; Duces Saxoniae, Juliae, Cliviæ & Mon-

Montium, Domini mei Clementissimi. Nam per  
 providam vestram Tutelam ita prospicitur Se-  
 renissimo PRINCIPi JUVENI, & toti Altenbur-  
 gico Ducatui, ut ex eo facile appareat, quod per  
 Vos etiam sanctis beati jam jam laudati Principis  
 Manibus fons omnis bonitatis velit benedicere.  
 Ego autem humillimus Vester servus devotissi-  
 mas Vobis quoque ago gratias, quod sub vestra  
 incomparabili Tutela sic mihi vivere licuerit, ut  
 me tamen non plane pessumdederint, quæ ple-  
 no impetu in me irruerunt miseræ. Quam E-  
 lectoralem, & Ducalem gratiam, Generosorum  
 Virorum biga, EINSIDELIVS & SCHOMBER-  
 GIVS, Legati, cum Vobis de Tutela exilibus  
 versiculis gratulatus essem, mihi sunt polliciti,  
 jam tum expertus sum, geminamque clemen-  
 tissimam gratiam, patrocinium & favorem et-  
 iam impofterum meis Musis adfutura, ita mi-  
 hi promitto, ut tamen eo nomine Vos, O ma-  
 gni Principes, humillimis precibus sollicitem.  
 Sic VOS MAXIMOS TUTORES servet tute-  
 la DEI Maximi!

Ad Te nunc venerabundus accedo, O Sere-  
 nissime JUVENTVTIS PRINCEPS, Princeps  
 Θεοφιλέστατε, FRIDERICE WILHELME, Dux  
 Saxoniae, Juliaci, Cliviae & Montaniae, & Tibi  
 quoque gratias repono humillimas, quod Du-  
 calis Gratiae tuae radiis aliquoties mihi affulseris:

dum vilissimas meas, quas nascentibus Tuis Virtutibus dicavi, dedicavi literulas, animo sereno, serena fronte suscipere non indignum tuo fastigio censueris. Perge porro, Gratiöse Princeps, humiles meas Musas tua fovere gratia, & ad majora calcar addere. Si alio pacto humilitatem meam declarare non licebit, id faciam ardentissimis & nunquam desituris pro Ducali incolumitate tua precibus, easdemque nequaquam fore irritas confido. Serenissime Princeps! Divina Tibi adsit Omnipotentis gratia, Teque magis ac magis in incredibile Serenissimorum Tutorum, Serenissimæ Ducis Sororis, Serenissimæ Viduæ amitæ, ac ceterorum Serenissimorum Cognatorum gaudium, in præstantissimum tuarum regionum emolumentum, in late diffusum totius Europæ, & præcipue Germaniæ splendorem, in nunquam intermoriturum tui præconium, pietate & virtute faciat efflorescere.

Quantas Tibi, Magnifice Domine Cancellarie, JOHANNES THOMÆ, quantas Nobilissimis & Amplissimis in Civili, quod Altenburgi tutorio nomine cum imperio est, Consilio, Collegis tuis, ac sigillatim quoque Tibi, Nobilissime FORSTERE, Amplissime Camerae Senator Consiliarie; quantas, inquam, Vobis agam gratias, non reperio: attamen ingentes habendas esse

esse scio. Profecto nunquam merui, Viri Maximi, tantum, quo mea studia complexi estis, favorem atque patrocinium: neque satis admirari possum, quod hominem e pulvere Scholastico prodeuntem tanti aestimaveritis, ut non colloquio tantum Vestro, sed & aliis prægrandibus beneficiis dignari volueritis.

Quod ego nequeo referre, referat divina bonitas, & Vos rebus semper florentibus sine intermissione augeat. Referat Vobis DEVS incredibilem, quam pro hac Schola exantlastis, sollicitudinem, dum ultra CC. Imperiales ad restauranda collapsa ædificia scholastica per vestra ad Serenissimos Tutores rescripta impetrastis, & partem æris templo huic Scholæ contiguo legastis. Grates Vobis agent posteris, ipsi parietes, tecta ipsa Vobis gratias habebunt. Quantum in meis erit viribus, id omne ad amplificandam & illustrandam Vestram gratiam, o optimi Mæcenates, o Patroni Maximi! humili obsequio destinabo. Nunc autem ex hac Schola abiturus nihil magis a Vobis peto atque contendo, STATORES Consiliorum Saxo-Altenburgicorum, quam ut porro, ceu fecistis hactenus, qualescunque meos in literarum studiis conatus ornetis, foveatis, promoveatis, & contra malevolorum, si qui erunt, insultus defendatis.

Nunc

Nunc ad Te, Generose Domine SCHOMBERGE, Magnifice Sacrorum consiliorum Præses, illustris studiorum meorum Patrone, mea se convertit oratio. Tua voluntate ad hoc, quod nunc depono, munus Rectoris accessi; semper tuo patrocínio, præsertim in arctis reb9 mihi adfuisti; tu supplices meas literas manu menteq; benevola recepisti; tu me de Scholæ miseris aliquoties querentem benigne audivisti; tu me Jenæ, cū in gravissimis visitationis Academicæ occupationibus ageres, coenæ tuæ interesse voluisti, & in Magnifici Cancellarii CARPZOVII notitiam deduxisti; tu me ope & consilio præclare juvisti: tuæ potissimum auctoritati & benevolentiae honorificam ex hoc munere missionem, tam præclaro testimonio stipatam acceptam fero. Quantæ Tibi pro ingentibus his benefactis debeantur gratiæ, unusquisque videt. Ceterum quia tanta dicendi facultas mihi non est, ut pro iis oratione possim satisfacere, malo devoto silentio venerari, quam eadem incomte dictis obscurare. Ut idem mihi sis in posterum, quem Te semper sensi, hoc est, Patronus meus Maximus, non rogabo multis verbis, ne de proluxa tua in me voluntate dubitare videar. DEVS Te fervet Generose Domine SCHOMBERGE! DEVS Te Altenburgico Ducatui dedit, DEVS te fervet!

De

De tuorum, non modo per hoc, quo hanc Sal-  
feldensem Scholam rexi, tempus, sed per plures  
retro annos cumulatisime mihi præstitorum  
beneficiorum multitudine exquisitius disere-  
rem, Maxime Venerabilis Sacrorum Altenbur-  
gicorum Antistes Supreme, Domine JOHAN-  
NES CHRISTFRIED SAGITTARI, Cognate  
perenni observantia colende: nisi quis existi-  
met, amori & cultui in Te meo nimium attri-  
bui. Quamquam pro tot ac tantis meritis  
nunquam tot & tanta a me dici possunt, ut non  
plura & majora Tibi me debere fatendum sit.  
Inprimis tamen maximas ex toto animo a-  
go habeoque gratias, quod paternis tuis consi-  
liis hæctenus juventam meam rexeris, & contra  
varias acerbioris fortunæ procellas confirma-  
veris. Perge porro hoc vere paterno, imo plus  
quam paterno me affectu prosequi: atque ego  
nunquam desinam, filiali obsequio, observa-  
tia, precibusque pro salute tua indefessis Te vi-  
cissim prosequi.

Tibi quoque Admodum Reverende, & Am-  
plisime Domine TRILLERE, Assessor Sacri  
Synedrii gravissime, non uno nomine obstrictus  
sum. Quod si aliquando re ipsa debitum meum  
potero exsolvere, faciam id libentissime; sin mi-

L

nus,

nus, quæ tua est humanitas, etiam voluntatem  
Te æstimaturum confido.

Non prætermittam Vos, etsi per operarum  
negligentiam prætermisæ estis in Programma-  
te, o Matronæ genere nobiles, pietate in  
Deum, munificentia in egenos, & reliquarum  
Virtutum splendore illustres, Vos, inquam, præ-  
nobiles Viduæ, LENGEFELDIA & HOFERIA.  
Vestra enim in hanc Scholam, & in me hujus  
Sholæ Rectorem merita tanta & tam magna  
sunt, ut si illorum obliviscerer, mortalium quo-  
rumvis essem ingratisimus. Tu nobilissima  
Matrona LENGEFELDIA pro institutione ne-  
potis tui, BERNHARDINI ALEXANDRI a Lengefeld/  
discipuli mei inter paucos ob probitatem, com-  
positos mores, & studendi ardorem mihi ma-  
ximopere dilecti, tot me cumulasti præmiis, ut  
nesciam, an eorum magnitudinem, an sensum  
de mea tenuitate honorificum magis celebrare  
necessum habeam. Quam vero nobilissimum  
nobilissimarum sororum par in aliis necessitati-  
bus, & in morbis præcipue me juverit, pluribus  
explicarem, nisi toti civitati summa illarum libe-  
ralitas & beneficentia abunde perspecta esset.  
Servet DEVS hoc nobile par matronarum, ea-  
rundemque generosam familiam aliis super alia  
virtutibus, & virtutum præmiis augeat.

Nunc



Nunc ad Vos accedo fideles Collegæ Re-  
 rendi Ministerii, Fautores & Amici mei singula-  
 res, maximas pro variis prolixæ affectus, inteme-  
 rati candoris, infucatae amicitiae testimoniis am-  
 plissimas Vobis reponens gratias: obnixè simul  
 rogans, velit eodem affectu, pari candore,  
 gemina amicitia me absentem prosequi, quo  
 præsentem sine fuce nunquam non addicti fuistis.  
 Ego contra in me recipio, sancteque confirmo,  
 non tantum memorem semper me futurum  
 præclarissimarum Vestrarum Virtutum, verum  
 nullam quoque occasionem, nullum tempus  
 prætermitturum, quo in datum fuerit ostende-  
 re, quanti Vos pro merito vestro aestimem, &  
 quanti Vobis Vestraeque familiae obstrictus sim.

Quo magis de me es meritis, Consultissime  
 Domine ANDREA LAVN, Quæstor tutorio  
 nomine Amplissime, eo majorem ex eo dolo-  
 rem animi sensi, quod Te sæpius varii gravesque  
 morbi infestaverint. Equidem hac ultima o-  
 ratione mea gratiarum loco Tibi ex toto pecto-  
 re voveo, ut DEVS benignissimus Te lectissi-  
 mæ Conjugi, & pro quibus tantas, quantas vix  
 alius curas geris, liberis dulcissimis, diœcesi ac  
 civitati Salfeldensi, diu fervet, valetudinem in  
 melius commutet, & omnibus corporis, animi  
 & fortunæ bonis porro beet. Geminam quo-

que rerum omnium fortunam Tibi voveo, Amplissime Domine ENGELSCHALLE, simulque magnas Tibi Tuisque ago habeoque gratias pro variis in me collatis beneficiis, quam hoc luculento additamento obsignare voluisti, quod tuos equos avehendis libris meis, etiam non rogatus obtuleris. Si aliquando dabitur occasio, tibi tuisque inserviendi, dabo operam, ut sentias, nequaquam mihi voluntatem defuisse.

Et vos quoque ceteri Præfecturæ Ducalis Administrum semper florentibus rebus utimini, ac, ceu hactenus a Vobis locupletissime factum est, porro favete meis studiis.

Gratias etiam Amplissimo & Prudentissimo hujus Civitatis Senatui ago habeoque, quod me ad Rectoris munus vocaverit, & in eo aliquoties suam benevolentiam mihi probaverit. Quia peculiaribus literis debitum meum observavi, nunc eo paucioribus verbis in habendis gratiis utar: sed tantum Consultissimi Syndici, Prudentissimorum Coss. & reliquorum Senatorum amori, & bonæ de me meisque laboribus existimationi me commendabo.

Sed quid ad Vos, o Collegæ, o conjunctissimi, o mihi amantissimi Collegæ, dicam? Dum vestrum, quo a primo adventu meo ad hunc usque diem me complexi estis, amorem infucatum

tum

tum recordor, vix a lacrumis temperare possum. Bone DEVS, quanta inter nos fuit consensio, quanta animorum conjunctio! Inter nos vel levissimam similitudinem intercessisse, nemo ex vero affirmabit; quapropter neque opus fuit, qui unquam in gratiam rediremus. In pluribus corporibus unus profecto fuit animus, ad salutem Scholæ promovendam unice intentus. Quicquid externarum molestiarum advolavit, id amicus noster congressus dispulit, aut levavit. Quapropter non invitus, ut verum fatear, audivi, aliquos hanc nostrorum animorum bonam conspirationem limis intuitos oculis, & si vera sunt, quæ rumor attulit, oblique etiam dictis notasse. Ipse enim alterum Scholasticæ salutis cardinem in Collegarum concordia versari jam pridem mihi persuasi. Ceterum magno opere in eo mihi gratulor, magnasque Vobis & ago habeoque gratias, & in posterum quoque habebo, quod cum plerique Vestrum annis me longius superaveritis, honores tamen mihi meoque muneri debitum satis superque præstiteritis. Si vestris, vestrorumque commodis unquam infervire poterō, summæ id mihi voluptati erit. Ut mei memoriam servetis, mihi faveatis, & feliciora fata precemini, non est, cur rogem; cum sponte vestra id facturos certus sim: at, ut inpo-

in posterum quoque cum Successore meo conjuncte vivatis, & quem vobis relinquo, unanimem consensum constanter retineatis, per nostram oro amicitiam. Labori vestro Dominus ex alto benedicat, & si homines non agnoverint, nec pro dignitate remunerati fuerint, ipse DEVS largissimo foenore in caelis retribuatur. Tibi vero sigillatim grates habeo Clarissime Prorektor BORNI, Amice perquam dilecte, quod in variis rebus sanctam tuam fidem & taciturnitatem, aliasque virtutes ita mihi probaveris, ut luculentius id fieri non potuisset. Faxit DEVS, ut alii gemino in te sint animo, quali tu in me fuisti; ac Te etiam, si DEO & Superioribus ita visum fuerit, ex Scholastico pistrino liberatum in meliorem aliquando fortunam asserat.

Quo sincera magis, quo magis genuina tecum mihi intercescit amicitia, optime Collega, suavissime Hospes, Compater dulcissime, JOHANNES MICHAEL SCHATZ, Cantor de hac Schola, & juventute scholica infinitis modis merite, eo ægrius a Te divellor. Tuas virtutes prædicarem, nisi id ægre te laturum præviderem. At id tamen palam & magna voce dico, tanta tua esse in hanc Scholam merita, ut, qui illa non agnoscat, aut cœcum, aut nescio quo livoris fastu turgidum esse oporteat. Quem in te  
ami

amicum habuerim, novi: &, dum vita mihi fuerit, dum spiritus hos artus foverit, non deponam tui memoriam, gratam mihi, gratisimam semper memoriam. Idem te facturum certum mihi est & exploratum. Bene vive cum tuis, &, si DEO & Patronis, nostris placuerit, brevi me sequere.

Civium hujus oppidi poene omnium & singulorum summus in me amor fuit, magnaque benivolentia. Huic affectui gratiis aliis respondere nunc non possum, quam ut ipsis in meo munere talem Successorem exoptem, qui pari fide ac amore (quod absque jaectantia dixerim) eorum liberos prosequatur, ac a me fuit factum.

Vos enim, nam vobiscum nunc agendum mihi erit o Discipuli, vita mihi ipsa cariores. Vos profecto tanto semper prosecutus sum affectu, quanto Pater bonos suos liberos complectitur. Dixi, scripsi aliquoties, & nunc denuo ultima hac mea Salfeldensi in Phrontisterio habita oratione magna voce repeto: Si quis Pater liberos suos ita amat, ac ego per divinum adjumentum vos creditos fidei meae discipulos, magis eosdem diligere non poterit. DEVM testem advoco, quod quantum per ipsius gratiam in meis fuit viribus, pro aeterna & temporaria salute vestra sollicitam curam gesserim. Repetite, & in memoriam

riam vobis revocate, quoties vos ex hoc ipso, quo nunc extremo loquor, loco ad veram pietatem, ad genuinam probitatem, ad compositos mores, ad diligentiam, & ceteras, quæ in vestram ætatem possunt cadere, virtutes fuerim adhortatus. Cogitate, quam multis cum suspiriis, quam multis cum lacrumis vos a vitiis juventæ ad regiam virtutum viam revocaverim. Perpendite, quantum vos ante ad sacram, quam nos conferre voluimus, Synaxin de vero & salutari usu istius sacrosanctæ cœnæ docuerim. Quid dicam de vobis, qui Alumnorum nomina habentes liberalitate publica in Schola estis enutriti? Nonne prima mea, eademque ultima fuit cura, quomodo in timore Domini, qui omnis sapientiæ, omnis doctrinæ, omnigenæ eruditionis fons & caput est, educaremini? nonne in hunc finem sedulam sacrorum Bibliorum lectionem, & a lectione jugem repetitionem urfi? nonne summæ mihi fuit voluptati, si cantiones prompte ac suaviter caneretis? Nonne, ut ad victum vestrum deveniam, omnem movi lapidem, ut singulis perverentem annum diebus cibum vestrum haberetis? Qua in re non possum non heic publice Amplissimi Præfecturæ Ducalis Administrum, Reverendi Divini verbi Præcones, alique honorati Viri, & quicumque sunt ex civibus, vestram liberali-

tatem

tatem deprædicare, & ut in posterum in eadem  
 sine interruptione pergatis, ac alios etiam ad ge-  
 minum pietatis officium excitetis, per vestram  
 vos obtestari, atque obsecrare pietatem. Non-  
 ne de vestra pecunia multo cum labore, infinitis  
 meis cum molestiis rationes gessi, & suum cui-  
 que tribui? Nonne singulis mensibus semel  
 meis sumtibus vobis de cibo prospexi? Nonne  
 in morbis de remediis fui sollicitus, ac, ut de victu  
 salutari & medicamentis vobis prospiceretur,  
 operam dedi? Quis unquam me accessit peti-  
 tum pecuniam, quem non promte iuverim? cui  
 consilio, ope, aut quacunque re alia non opitu-  
 latus fuerim? Neque tamen hæc eo affero, o mei!  
 ac si vobis exprobrare, aut mea merita in hac  
 splendida honoratiorum Virorum corona jacta-  
 re discupiam: sed ut vos ad gratam atque memo-  
 rem mentem inclinem. Aurum & argentum a  
 vobis non exposco, neque unquam, quod opti-  
 me novistis, malesuada percitus avaritia, & pro-  
 priæ utilitatis amore malesano vestrum quæsi-  
 vi. Nam si id fuisset, tantam familiaris rei jacturam  
 heic loci non fecissem. Erunt e vestro numero,  
 a quibus nec didactrum unquam accepi, nec ac-  
 cipere volui; sed hi ipsi de meis facultatibus ac-  
 cessionem aliquando senserunt. Si illam de vo-  
 bis bene merendi voluntatem grato saltim ani-  
 mo

M

mo

mo agnoveritis, meamque fortunam DEO supplicibus votis commendaveritis, fatis gratiarum mihi relatum existimavero. Pro doctrina vestra tam fui sollicitus, quam quod maxime, summæque mihi voluptati, honori summo duxissem, ad amplissimam eruditionem, si per breve temporis spatium vos provehere potuissem. Non est in meis cur me jactem studiis: attamen si quid est in me cognitionis literarum, eam nequaquam multo auro solitus sum vendere; verū, si fieri potuisset, uno impetu in vos transfudissem. Quod si tamen per illum, quem nuper feliciter finivimus, annum, remissioem aliquanto me vidistis, facile conjectura potestis assequi, tantum variarum in me irruentium calamitatum vim vestri Præceptoris fervorem non parum inhibuisse. Ceterum quoniam prolixum vestrum erga me amorem intellexi, filialem observantiam, & cultum singularem deprehendi, non possum non eundem hac in publica Panegyri deprædicare, DEVMQVE rogare, ut eo animo erga me absentem semper esse velit, & ceteros Præceptores, imo & Successorem meum gemino amore, cultu & observantia mactetis. DEVS vos gubernet S. suo Spiritu, ut in pietate, probitate, bonis literis ac virtutibus majora indies incrementa capiatis, & in utilia Ecclesiæ Reique publ. organa

na



na evadatis. Si cuiquam vestrum vel consilio, vel auxilio opem ferre poterō, faxo, ut sentiat, eundem me in aliis vestris commodis futurum, qualem me in institutione vestra deprehendistis.

Nunc igitur vobis, o mei, valedicam. Valete mea corcula, vivite, vigete & valete. Vale, Vale, Vale Schola Salfeldensis: cuius ergo tot curas, tot angustias exantlavi. Valete tecta hujus Scholæ, quæ quantum in me fuit, a ruina facta tecta conservare volui. Vale templum Scholæ contiguum, & quod spero & opto, sensim ad vetustam tuam gloriam resurge. Vale Scholæ hujus Bibliotheca, & quem nacta es, nitorem in multos annos serva. Vale Alumnei hypogeum, in quo tot cum Alumnis cantica in honorem DEI decantavi. Vale prima classis, testis meorum laborum, testis mearum miseriarum. Vale etiam hoc, in quo nunc extremo sermoci- nor, Auditorium, quod fidem meam, si homines tacuerint, loquetur. Valete Reverendi Ecclesiæ Ministri. Valete Amplissimi Præfecturæ Ducalis Administrum. Valete Coss. Syndice & Senatores Prudentissimi. Valete Medici Experientissimi. Valete Collegæ conjunctissimi. Valete cives Salfeldenses singuli. Valete Evergetæ, Mæcenates, Patroni, Fautores, Compa-  
M 2 tres,

tres, Amici, Discipuli. Vale, Vale, terque qua-  
terque Vale Schola Salfeldensis. Fac o DEVS,  
ut & indignissimus servus tuus vivam, valeam,  
& post hanc vitam in coelesti palatio cum CHRIS-  
STO triumphem.

Quod reliquum est, o Auditores omnium  
ordinum honoratissimi! quas vobis agam ha-  
beamque gratias, quod confesfu tam splendido,  
tam honorifico, tam magnifico hunc Actum  
condecorare voluistis, plane nescio. Profecto  
Vos ostendistis, quanti aestimetis literas, quan-  
ti meam parvitatem, quanti Patronos, & hos  
inter alterum Parentem meum D. JOHAN-  
NEM CHRISTFRIEDVM SAGITTA-  
RIVM faciatis. Quod ego remunerari ne-  
queo (qui possem bone Deus! tantum affectum  
remunerari?) faciet Is, in cujus nomine hunc ser-  
monem fuimus exorsi, qui Vos omnes & singu-  
los omnigenis beet beatitatibus. Equidem cum  
nihil vobis polliceri possim, quod hac benivo-  
lencia dignum sit, animum tamen semper me-  
morem sancte Vobis promitto, & hac mea  
manu germana fide confirmo.

FINIS.

Si quæ mea, si quæ typographi errata, benevolo Lectori  
ne officiant, opto.

Pou zé 160, QK

ULB Halle

3

002 423 790



VOM





QK.269.

17.  
QK.269.(1)

CASPARIS  
LVNE  
PHILOSOPH. MAG. ET S  
SCHOLÆ SALFELDEN  
INTROITV  
SALFE  
DVABVS  
I. DE MISERIA  
SO  
II. VALE  
OS




ACCEDIT MICHAELIS NEAN  
ET CONTEMV VNA ETIAM  
RVM PVBLIC  
ET PROGRAMMA  
JENÆ, LITERIS ET S

Ze  
160

BIOTHECA  
KAVIANA

BIBLIOTHEK  
ALLE  
BAALE)



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

